QUAESTIONES PROPERTIANAE

Quo tempore Propertius natus sit, quae ratio inter Properti elegiam IV 3 et Ovidi epistulas heroidum intercedat

Commentatio philologa

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum physicorumque in alma litterarum universitate Wilhelmia Westfala Monasteriensi ordinis ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Hermann Mersmann
Guestfalus

Paderbornae
Ex officina Typographiae Bonifacianae
MDCCCCXXXI

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum commentationem typis expressam esse testatur

Riccardus Schmidt
ordinis philosophorum h. a. decanus.

Ad ordinem philosophorum de comprobanda commentatione rettulit

Carolus Münscher
professor p. o.

Examen rigorosum habitum est d. 30. m. Nov. a. 1928.

Parentibus

I. Quo tempore Propertius natus sit.

Cum Ovidium ante diem tertium decimum kalendas Apriles anni quadragesimi tertii natum esse ex Trist. IV 10, v. 6 et v. 13 clarissime eluceat, quo tempore Propertius et Tibullus nati sint, compertum non habemus. Priusquam vero Birtius[1] Propertium ca. a. 56./57. natum esse contendit, quam opinionem Kalinka[2] ad sententiam de Tibullo anno sexagesimo vel etiam prius nato confirmandam adhibet, Propertium ca. annum 48. atque Tibullum ca. a. 54. natum esse per ambages concludebatur. — Quam ob rem in priore opusculi parte de illorum poetarum temporibus natalibus quaestionem instituam, cuius summa nisus in altera parte rationem, quae inter Properti elegiam IV 3 atque Ovidi epistulas heroidum intercedat, exquiram.

Ad tempus, quo Propertius natus est, definiendum elegiae vicesima prima et vicesima altera libri primi maximi sunt momenti. Itaque et critice et exegetice has elegias pertractabo. Qua in re Hosii critica editione Biblioth. Teubner. 1911, ² 1922 et Rothsteinii editione commentario exegetico praedita (Berol. Weidm. 1924 ²) utar. Codicum autem Propertianorum ordo hic est: omnium codicum optimus Neapolitanus (N), qui saeculo XII. scriptus est, habetur. Tamen unicus testis non est. Neque enim codices deteriores sunt repudiandi, quo ex numero Baehrens optimos: A = Vossianum (saec. XIV.), F = Laurentianum (saec. XIV.), D = Daventriensem (saec. XV.), V = Ottob.-Vaticanum (saec. XV.) selegit, quorum bini: AF, DV artiore vinculo inter se cohaerent. Codicem A, qui II 1, 63 desinit, codex L (Holkhamicus) initio saeculi XV. scriptus supplet. Graeca littera ς lectiones recentiorum et deteriorum codicum Italorum significat. — Mea autem ratio erit haec: id, quod traditum est, quantum licet, servabo. Quas vero coniecturas ineptas atque minime necessarias esse putavi, omnino non respexi. — Ac nunc a carmine vicesimo primo explicando incipiam.

Rothsteinius quidem elegiam 21 carmen in sepulcro incidendum esse putat. Sed cum Gallus mortuus nondum sepultus esset, hunc titulum in cenotaphio inscriptum esse dicit, quod Gallo eo loco, quo

---

[1] Rh. Mus. 70, 1915.

[2] Philol. 77, 1921.

interfectus esse videretur, in via inter Perusiam et patriam, quae non longe a Perusia abesset, esset factum. Cui Rothsteinii opinioni adstipulari non possum. Nam 1) monumentum non prius erigi potuit, quam nuntius de Gallo interfecto in patriam allatus est. 2) In hoc carmine unus tantum atque certus homo (saucius miles) appellatur. Tituli autem in tumulo vel in cenotaphio incisi semper omnes qui praetereunt viatores alloquuntur, id quod ex omnibus eiusmodi epigrammatis facile cognosci potest. Cf. Asclepiadis epigramma (Anthol. Pal. VII, 500):

Ὦ παρ' ἐμὸν στείχων κενὸν ἠρίον εἰπόν, ὁδῖτα,
εἰς Χίον εὖτ' ἂν ἵκῃ, πατρὶ Μελησαγόρᾳ,
ὡς ἐμὲ μὲν καὶ νῆα καὶ ἐμπορίην κακὸς Εὖρος
ὤλεσεν, Εὐίππου δ' αὐτὸ λέλειπτ' ὄνομα,

quod Rothsteinius — iniuria — quia elegiae 21 simile esse censet, affert. Quo in epigrammate primum κενὸν ἠρίον ipsum nominatur, cum in carmine Propertiano nullum vocabulum cenotaphium indicet. Tum ὁδοιπόρος quivis praetergrediens de mortis genere patri nuntium afferre iubetur. Apud Propertium autem unus atque certus vir appellatur, quod in titulo in sepulcro inscripto fieri absurdum est: nam nisi forte unus ille amicus appellatus locum, quo illud cenotaphium esset positum, petivisset, vel si titulum praeteriens neglexisset, carmen frustra esset scriptum. Umbram enim (vel εἴδωλον) Galli interempti militem fugientem alloquentem fecisse poetam censeo. Quod non fit in somno, ut Birtius (Rh. Mus. 70, 1915) suspicatur, sed rem sic fuisse puto: saucius miles, quicumque est, re vera in itinere est atque fuga salutem petit. Tum iuxta viam mortuum aliquem iacentem videt. Sed timore hostium commotus non consistit, immo animo perturbatus praetervolat. Sed subito ei illud succurrit: nonne lineamenta oris, quae modo vidisti, tibi nota sunt? Itaque redit et mortuum illum Gallum commilitonem esse cognoscit. Propertius autem, ut est poeta vere ingeniosus, rem ita vertit, ut umbram mortui fugientem militem alloquentem faciat. [3]

Quibus praemissis ad elegiam ipsam critice et exegetice illustrandam accedamus.

V e r s u s 1/2:

„Consortem" hoc loco non hominem, qui aliquid cum aliquo communicat, sed rem significat, quae pariter ad complures homines pertinet, vel quae complurium hominum communis est. (Cf. Verg. Georg. IV 153 „consortia tecta" = gemeinsame Wohnung, Lucan. IV 178

---

[3] Similiter fere Damsté, Mnemosyne 52, 1924 p. 2.

„consors aetas“ = gemeinsam verbrachte Jugend.) — „Ab Etruscis aggeribus“ a vocabulo „properas“ pendere cum Birtio puto, neque nos cum Rothsteinio alterum verbum „venis“ animo addere necesse est.

Versus 3:

Optimi codices N, A, F, D, V lectionem „quid“ exhibent, cum in deterioribus codicibus „qui“ scriptum videamus. Lachmann, Vahlen, Enk, Postgate[4] „qui“ legunt. Quam lectionem Postgate ea de causa praefert, quod „nostro gemitu lumina torques“ ita ut significetur „a nostro gemitu lumina torques“ dici non posse ratus „nostro gemitu“ pro „ad nostrum gemitum“ dictum esse intellegit, atque „quid ad nostrum gemitum . . .“ hoc loco ineptum est. Equidem lectionem „quid“ servo. Nam „nostro gemitu“, cum ablativus proprius sit, locum, ni fallor, significat, a quo miles oculos avertit. „Torqueo“ pro „detorqueo“ — nescio an non propter metrum — a poeta scriptum est. Ut „torqueo“ pro „detorqueo“ scriberetur, fieri potuisse duo exempla demonstrant:

Verg. Aen. IV 220 „oculos ad moenia torsit“ (Iuppiter ab Iarba oculos ad regiam et amantes vertit) et Hor. epist. II 1, 127:

Torquet ab obscaenis iam nunc sermonibus aurem.

Sed simplex quoque „torqueo“ cum ablativo sine praepositione coniunctum rationem aliquid ab aliquo loco amovendi exprimere potest. Nam etiamsi apud verba simplicia praepositiones ab, ex, de scribi solent, tamen poetae ablativo sine ulla praepositione saepius utebantur atque etiam a Livi temporibus in sermone soluto eiusmodi ablativos scriptos videmus. Cf.

Pl. Trin. 265: qui in amorem praecipitavit, peius perit, quasi saxo saliat,

Verg. Georg. 3, 203: spumas aget ore cruentas (= ex ore),

Verg. Aen. 6, 191: columbae . . . caelo venere volantes,

Liv. 44, 35, 5: (legatos) praecipites sine responso agendos castris.[5]

Tertium igitur versum sic interpretor: cur turgentes oculos a meo gemitu avertis? Birtius autem duobus locis Vergilianis VII 448 „torquens lumina“ et VII 399 „torquens aciem“ nisus versum hoc modo explicat: militem fugientem Galli mortui gemitu perterritum oculos torquere (= rollen). Quamquam haec Birtii sententia contemnenda non est, tamen interpretatio modo a me commendata melior mihi videtur esse. Nempe Gallus mortuus saucium militem, qui omnia neglegens praeterfugit, attentum reddere studet, quam ob ipsam rem, ut militem paulum retineat, in sequenti versu 4 se eius commilitonem et propinquum esse dicit. — Quod ad „turgentia lumina“ attinet, Postgate

---

[4] Journal of Philol. 14, 1885.

[5] qua de re cf. Kühner-Stegmann, Lat. Gramm. II 1 p. 361 sq.

suo iure „turgentia“ non „schwellend“, sed „geschwollen“ significare animadvertit. Itaque interpretatio illa: „oculos misericordia Galli tumescentes“ recta esse non potest. Postgate et Damsté (Mnemos. 52, 1924) lumina lacrimis dolore vulnerum, quae miles in pugna acceperit, expressis turgere putant. Quamquam haec interpretatio recta esse potest, tamen oculos lacrimis, quas miles dolore Perusiae vastatae deletaeque fudit, turgere verisimilius mihi videtur. Rothsteinius „turgentia“ cum „nostro gemitu“ coniungit atque alio loco Propertiano I 8, 1 (mea cura i. q. Liebe zu mir) comparato „nostro gemitu“ „Seufzen um mich“ significare putat. Quae interpretatio mea quidem sententia falsa est. Nam oculi non gemitu, sed fletu tumescere possunt. Praeterea miles fugiens, ut iam supra dixi, mortuum omnino non videt, sed praetervolat et, ut paulum consistat, antea appellandus est. Insuper salvum esse Gallum putat, ut e versu septimo elucet.

Versus 4:

Optimis codicibus „proxima“ traditum est, quae lectio egregie mihi placet. Codicis V2 lectio „maxima“ sensu caret. Neque coniectura „prodita“ a Baehrensio proposita necessaria, immo mala est. Namque Gallum militi fugienti se cognatum esse aperire necesse est, ne commilito se neglegens praetereat. Quare sic interpretor: cur socors me praetercurris, quamquam bello Perusino tuus fui commilito atque etiam proximus sum? — Interpretatio vero Hertzbergii (proxima = proxime = modo, nuper) non probanda videtur, primum quod praesente „sum“ repudiatur, tum quod hoc loco Galli exacerbati interrogationis in versu tertio antecedentis causam afferri necesse est: nempe sum tuus propinquus.

Versus 5/6:

Quod ad hoc distichon attinet, opiniones virorum doctorum valde inter se dissentiunt. Tradita quidem verba sunt:

Sic te servato, ut possint gaudere parentes,
Ne soror acta tuis sentiat e lacrimis.

Mea sententia versus quintus ita, ut traditus est, nobis servandus est, atque Passeratii coniecturam, qui „ut“ delet, repudio, cum vocabulorum „sic“ et „possint“ sensum obscuret. Interpretor autem hoc modo: talem te serves, qualem videntes parentes tui laetentur, id est: cave, ne iterum atque graviter vulnereris neve mutilus vel debilis (v. Damsté) domum redeas. Sextus autem versus servari non potest. Nam particula negativa „ne“ (nec ç) (item „neu“ [Belling], praesertim cum in dictione poetica rarius inveniatur), sive illud „sic“ illustrare sive a praecedenti versu solutam hortationis initium facere (cf. Hosium) putamus, sensum corrumpit, quoniam ineptum est hoc in versu amicum moneri, ut sororem acta celet, cum versibus 7/8 acta referantur. Neque soror Galli ossa sepelire potest (v. 9/10), nisi de mortuo Gallo

nuntium accepit. Multi igitur viri docti varias coniecturas proposuerunt: Richmond[6] pro „ne" „mi" legit, quam coniecturam adnotationibus, quae infra de illa „sorore" sequentur, redarguam. Illud „haec" a Beroaldo propositum a codicum lectione, quod ad litteras attinet, nimis differt. Etiamsi lectiones „et" (Hailer) et „ut" (Passerat) mihi non displicent, tamen „at" propono, cum hoc vocabulum sororis tristitiam parentum laetitiae melius opponat atque, quod ad artem palaeographicam attinet, ($\frac{\text{NE}}{\text{AT}}$) commendatur. Quibus expositis illa Postgatii interpretatio necessaria non est, qui vi quadam „acta" „id, quod re vera factum est" (the real history of his death), significare dicit. Ex insidiis enim interemptum esse Gallum. Qui si in proelio cecidisset, honestam mortem eum subiturum fuisse, de qua soror sine dubio certior fieri potuisset. A sicariis autem interfici inglorium fuisse (do not destroy her fond belief that I was killed in honourable battle). Item Rothsteinii interpretationem: „der Tote bittet ihn, seiner Schwester das Geschehene schonend mitzuteilen, sie das Geschehene wenigstens nicht sofort aus seinen Tränen merken zu lassen," ad quam particula negativa adductus est, repudio, praesertim cum eiusmodi sententia hoc versu omnino non exprimatur.

Sed iam interrogamus, qui „parentes" et quis illa „soror" sint. Quod priusquam tracto, mihi animadvertendum est militem fugientem fratrem Galli mortui esse non posse, quamquam nonnulli viri docti[7] hoc putaverunt. Quorum opinionem Rothsteinius[8] bene refutavit animadvertens: „es wäre eine schiefe Vorstellung, wenn die Pflicht des ossa legere nachher (v. 9) ausschließlich der Schwester zufiele, während der Bruder an dem Toten vorbeigeeilt ist, ohne sich um ihn zu kümmern, und auch der Wunsch: sic te servato, ut possint gaudere parentes wäre nicht recht am Platze, wenn einer der beiden Brüder ums Leben gekommen ist." E lectione „sic te servato, ut possint gaudere parentes" recte tradita illos „parentes" non Galli mortui esse posse sine dubio elucet. Dicet quispiam parentes eo laetari posse, quod tunc quidem certiores facti essent, quomodo atque ubi filius perisset. Quae opinio nimis artificiosa atque absurda est. Quo nuntio accepto parentes nihil aliud facere posse nisi lugere atque flere natura ipsa docet. Birtius,[9] qui ipse „parentes" Galli mortui esse dicit, hanc difficultatem cum perspiciat vocabulum „gaudere" in „audire" mutat et „acta" obiectum esse putat. Sed cum supra demonstraverim versum ita, ut traditus est, nos optime interpretari posse, omnibus codicibus „gaudere" exhibentibus Birtii coniecturam repudio. Duo vero argumenta, quibus Birtius

[6] Class. Quarterly XX 1926 p. 90.
[7] velut Brandt, Quaest. Prop. Diss. Berol. 1880.
[8] append. p. 472.
[9] Rh. Mus. 70, 1915.

sententiam suam de parentibus militis mortui confirmare studet, non multum valent. Nam 1) Birtius dicit „parentes“ Galli esse oportere, cum pronomen possessivum „meus“ desit. Sed equidem post antecedens pronomen „te“ et ante sequens vocabulum „tuis“ „tui“ ante „parentes“ inserendum non fuisse puto, quin etiam propter sequens pronomen „tuis“ male insereretur. 2) Birtius miratur, quomodo fieri possit, ut alterius viri parentes valere Galli intersit. Magis enim consentaneum esse eum de suis ipsius parentibus cogitare. Generosum quidem esse Gallum parentes alterius valere cupientem, sed eiusmodi animi nobilitatem antiquis temporibus omnino non fuisse. Sed Birtium animi nobilitatem sine iusta causa atque iniuria plane negare putaverim. Praeterea Gallum ipsum parentibus iam orbatum fuisse, ut de iis omnino cogitare non posset, quominus putemus nihil obstat. Qua de re infra plura verba faciam. Itaque, quin „parentes“ militis fugientis sint fieri non posse puto.

Nunc iam quaeramus, cuius soror in versu sexto appelletur. Quicumque versus 5/6 legerit, et „sororem“ et „parentes“ ad eandem pertinere personam, qui est miles fugiens, cognoscet. Res si aliter se haberet, hoc loco pronomen possessivum exspectaremus. Itaque cum supra sententiam de parentibus Galli refutaverim, ne soror quidem in versu sexto commemorata Galli esse potest. Sed quo modo fieri potuerit, ut hoc loco militis fugientis soror nominetur, iure interrogamus. Sororem igitur cum Gallo mortuo aliquo modo coniunctam fuisse oportet, quia morte eius maxime afficitur. Rothsteinius quidem [10] „sororem“ Galli sponsam vel uxorem aut matrem fuisse putat. Quod ad matrem attinet, ei adstipulari non possum. Nam 1) si Gallus parentes vel patre mortuo matrem solam habuisset, in epigrammatis sepulcris incisis commilitonem, ut mandata sua ad matrem ferret, eum oraturum atque eam primo loco ante militis fugientis parentes nominaturum fuisse puto. Nam quicumque procul a patria moritur, nonne eum, si parentes vivunt, non de aliis hominibus nisi de suis ipsius proximis, patre, matre, sororibus, fratribus, cogitare consentaneum est? Itaque „soror“ mater Galli esse non potest. Immo Galli parentes iam mortuos esse contenderim. 2) Altera causa — etiamsi haud multum valet —, cur hanc opinionem repudiem, haec est: sororem et fugientem militem, cum germani sint, aetate non multum inter se differre verisimile est. Ut „soror“ mater Galli sit, quem viginti fere annos natum putemus, et ipsa aetate iam senior et „saucius miles“ aetate progressus habendi sunt. Sed cum fugiens miles mortui Galli amicus et commilito sit, eum ipsum quoque non multo maiorem quam viginti annos natum existimamus, quod, si „soror“ Galli mater fuisset, incredibile esset. — Praeterea, si „soror“ Galli mater esset, hic eam

---

[10] ed. Prop. [2] 1920 p. 203.

„matrem meam", non „sororem tuam" — quae allocutio ridicula est — appellaret. Verisimillimum igitur, quin etiam rectissimum esse mihi videtur, quod Rothsteinius „sororem" sponsam vel Galli uxorem fuisse dixit. Quamquam Birtius [11] hoc falsum esse contendit. Sororem enim, quae militem in bello interfectum sepeliret, semper ipsius esse occisi atque mortuos, ut ipsorum proximi se sepelirent, semper orare. Antigonae sororis ius valere. Sed sororem hoc loco commemoratam Galli esse non posse iam supra demonstravi. Quod vero ad proximorum officium mortuum sepeliendi attinet, Birtium fortasse recte opinari concedo. Sin autem Galli proximos iam mortuos esse pro certo habeo, cuius potius quam sponsae vel uxoris fuit mortuum sepelire?

Versus 7/8:

His versibus id, quod actum est, cognoscimus. Quo loco Propertius, quem τόπον in epigrammatis graecis saepe invenimus, [12] viatorem praetereuntem a mortuo proximis calamitatem nuntiare iuberi, imitatur. Vocabulum „ereptum", quod omnes tradunt codices, Markland intellegi non posse ratus „elapsum" scribendum proposuit. Quae coniectura et propter rem palaeographicam repudianda et per se ipsa supervacanea est. „Ereptum" participium mediale esse existimo atque interpretor: „mit Mühe und Not mich gerettet habend". Lectio „ereptum" satis confirmatur duobus locis Vergilianis:

Aen. VI 110:

illum ego per flammas et mille sequentia tela
eripui his umeris

Aen. II 664:

Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignes
eripis.

Non necessaria igitur est illa Rothsteinii interpretatio nimis artificiosa: „ereptum" bezeichnet nicht nur die Tatsache der Rettung, sondern die Rettung durch einen anderen, hier die Entrückung aus sonst unvermeidlichem Untergang durch göttliche Hilfe." „per" ita interpretor, ut significet: per mediam aciem itaque ex manibus hostium = „from amidst", ut Postgate docuit.

Versus 9/10:

Codicibus DV „quicumque" traditum est, cum ceteri, quorum in numero optimus Neapolitanus, „quaecumque" exhibeant. Ac librarii DV ut „quicumque" scripserint, mea quidem sententia commoti sunt, quod propter particulam negativam, quam in versu sexto legebant, militem sororem de malo certiorem facere vetari eamque ossa colligere

---

[11] Rh. Mus. 70, 1915.
[12] v. Anth. Pal. VII.

non posse cogitabant. Itaque librarii vocabulo „quicumque" subiectum generale effecerunt, quae coniectura ab Hosio et Phillimorio accepta est. Tamen „quaecumque" a Propertio scriptum esse censeo, cum optimis codicibus traditum sit nec nisi de proximis, scilicet de sorore ossa legente cogitari possit. — Housmani vero interpretationem [13]: „quaecumque ossa soror invenerit, haec — Gallum mortuum digito ad semet ipsum monstrantem ante oculos habet — ossa Galli esse sciat" non probo. Nam, ut inter plurima militum ossa in montibus Etruscis diffusa Galli reliquiae invenirentur, vix fieri poterat, cum militem hostes rapido cursu effugientem locum, quo commilito mortuus iaceret, memoria tenuisse putare nobis non liceat atque ut Galli ossa a bestiis dispergerentur accidere posset, quam sortem in Hor. epod. 5, 99: „insepulta membra different lupi et Esquilinae alites" victima veneficae vaticinatur. — Equidem cum Rothsteinio consentio, qui cum aliis viris doctis (cf. Paleium) „haec" ad „quaecumque" pertinere ratus hoc modo interpretatur: „Die Schwester des Fliehenden soll wissen, daß es vergebliche Mühe wäre, unter den verschiedenen Gebeinen, die man auf den Bergen Etruriens finden kann, die des Gallus zu suchen, daß die einen ebensogut wie die anderen darauf Anspruch haben, dafür gehalten zu werden." Hic locus Propertianus optime illustratur Hommelii commentario, [14] qui „der unbekannte Soldat" inscribitur. Hommel enim cum sententia his versibus expressa illam rationem comparat, qua nostra aetate gentium bello (1914—1918) confecto Francogalli („soldat inconnu" sub arcu triumphali) et Itali („milite ignoto" iuxta aram patriae) omnes mortuos inter se pares esse memores unius militis ignoti corpore suum quisque proximum in bello interfectum venerantur. Quin etiam eo, quod Itali non sermone cottidiano „soldato sconosciuto" usi illum unum militem vocabulis archaicis „milite ignoto" appellant, confirmatus contra Rothsteinium, qui Propertium Romanis hac sententia prolata aliquid novi atque singulare proposuisse dicit, eum morem apud veteres pervagatum fuisse atque nostris temporibus non nisi revixisse opinatur.

Nunc inquiramus, quis ille miles saucius sit, quae quaestio ad tempus, quo Propertius natus sit, definiendum maximi momenti est. Ac Gallum ipsius Properti poetae proximum, qui bello Perusino anno quadragesimo primo gesto occisus est, fuisse certo scimus: 1) quod poeta ei carmen 21 composuit, 2) ex elegiae insequentis 22 versu septimo:

Tu proiecta mei perpessa es membra propinqui.

Atque saucius miles Galli propinquus est, ut 1) e verbis 21, 4 „Pars ego sum vestrae proxima militiae", 2) inde, quod Gallus spon-

[13] J. Ph. XXI p. 184.
[14] Phil. Wochenschrift 1926 988 sqq.

sus vel etiam coniunx sororis est militis fugientis, elucet. Etiamsi ex certis quidem verbis saucium illum militem ut Gallum poetae quoque propinquum fuisse concludere non licet, tamen, quod Propertius saucium militem non minore studio quam Gallum describit atque de singulis eius proximis loquitur, illum cum Propertio artissime coniunctum fuisse contenderim. Rothsteinium igitur recte suspicari censeo dicentem: „Es ist möglich und nicht unwahrscheinlich, daß der Verwundete, dem es gelungen ist, sich zu retten, sein eigener (i. e. Properti) Vater gewesen ist.“ Quae opinio eo confirmatur, quod poetam hoc carmine, quod una cum carmine 22, qua in elegia de patre suo verba non facit, libri primi separatim editi finem facere infra demonstrabo, morem poetarum Romanorum secutum [15] de patre loqui verisimile est. Nominatim autem patrem, qui Octaviani adversarius fuerit, apud legentes introducere poeta non potuit, cum librum primum Octaviano principe ederet, qua de re infra disputabo. Praeterea nisi ille miles pater fuisset, poetam, quod nomen eius tam diligentissime celaret, non habuisse putaverim atque illum militem eodem iure quo militem humi iacentem Propertio nominandum fuisse dixerim. Qui autem haec sententia de poetae patre cum carmine IV 1 congruit, ubi Propertius ore astrologi de vita sua (v. 121—135) nos certiores facit? Ex versibus 127/128 enim:

> Ossaque legisti non illa aetate legenda
> patris et in tenues cogeris ipse lares

eo tempore, quo gentis Propertianae agrorum maxima pars ab Octaviano veteranis data est, Propertium puerum patre mortuo iam praedii dominum fuisse elucet. Quaerimus autem, quo tempore Octavianus militibus suis agros Propertianos donaverit. Si militem saucium Properti patrem fuisse recte suspicatus sum, de assignationibus inter pugnam Philippensem autumno anni 42. commissam [16] bellumque Perusinum circa Idus Februarias anni 40. gestum factis cogitari non potest, cum pater eo tempore iam mortuus fuisset. Atqui nihil obstat, quin gentem Propertianam aut bello Perusino confecto (anno quadragesimo, cf. Vergil.) aut pugna Actiaca anno 31. facta [17] agris privatam esse arbitremur. Si de illa assignatione agitur, Properti patrem statim ex ipso bello Perusino confecto mortuum esse necesse est. Si ager post bellum Actiacum assignatus est, pater ante annum 30. vita decessit. Propertius igitur, cum secundum versus IV 1, 131 sq. paulo post agri assignationem 15—18 annos natus togam virilem sumpserit, si de anno 30. agitur, ca. a. 47./44. natus est. Si de assignatione anno 40. facta agatur, Propertius ca. a. 56. natus sit, quo tempore Birtius, cum

[15] cf. Ovid. Trist. IV 10.
[16] cf. Appian. V 5, 3.
[17] cf. Mon. Ancyr. I 17—19 et III 19.

Propertium ipsum illum militem saucium fuisse arbitretur, eum natum esse contendit. Utro igitur tempore Propertius natus sit, qua quaestione soluta etiam, quando agri Propertiani assignati sint, plane decerni potest, ut diiudicem, Birtii illam sententiam excutiam, quacum quaestio, quo tempore carmen 21 scriptum sit, coniuncta est. — Etenim militem nullum alium nisi Propertium ipsum esse Birtium iustis argumentis nullis nisum contendere puto. Ille enim iis verbis militaribus, quibus poeta in versibus IV 1, 135 sqq: „haec tua castra . . .“, „militiam Veneris blandis . . armis“, „hostis“ . . . utitur, Propertium ipsum anno 40. arma tulisse atque in numero hostium fuisse demonstrari arbitratur. Attamen comparationem amoris et militiae apud poetas Romanorum elegiacos τόπον usitatissimum fuisse constat,[18] velut:

Hor. c. IV 1, 2 — Intermissa, Venus, diu
rursus bella moves? parce precor, precor.
15 sq. — et centum puer artium
late signa feret militiae tuae.
Tib. I 1, 75 — hic ego dux milesque bonus.
Tib. I 3, 63 — ac iuvenum series teneris immixta puellis
ludit, et adsidue proelia miscet amor.
Tib. I 8, 49 — puero quae gloria victo est?
Prop. II 22, 34 — hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.
Ov. am. I 11, 12 — In me militiae signa tuere tuae!

Praeterea Propertium militem bello interfuisse et vulneratum esse etiam mansueta tranquilla de pueritia narratione (c. IV 1, 127 sqq.) refutatur, cui aspera militia, qualis I 21 describitur, haud congruere mihi quidem videtur, atque si re vera miles ille saucius fuisset, poetam non habuisse contendo, quod de illa militia in c. IV 1 taceret.

Hanc elegiam 21 quoniam quantum fieri potuit, illustravimus, nunc quo tempore poeta composuerit, quaeramus. Solam si spectamus, cum Birtio, qui extemplo bello Perusino confecto anno quadragesimo ortam eam esse putat, fortasse consentiamus. Sane in hoc carmine sperantem fecit poeta sororem ossa interfecti se inventuram esse; sed poeta, quascumque vult res, suo iure fingit. Neque inde concludere nobis licet carmen eo ipso tempore, quo illae res factae sunt, compositum esse. Birtius vero atque eius discipulus Hollsteinius,[19] ut Propertius decem annis post bellum Perusinum de proximo in illo bello occiso recordaretur, fieri non potuisse putant. Sed equidem rem optime explicari posse arbitror: certa quadam causa poetam commotum esse, ut Gallo hoc carmen dedicaret, ego quoque existimo. Ultimo vero libri primi

[18] cf. René Pichon, De sermone amatorio apud Latinos elegiarum scriptores, Paris. 1902, p. 20 sq. et p. 201 sq. s. v.: militia.

[19] De monobibli Properti sermone et de tempore, quo scripta sit. Diss. Marpurg. 1911.

in carmine Propertius se ab homine aliquo interrogatum esse fingens de se et de patria sua legentes aliquantulum certiores facit. Etenim interrogatus, ubi natus sit, ut est verus poeta, non ieiune patriam Assisium esse dicit, sed circuitione quadam usus, ubi bellum Perusinum saevivisset, se ortum esse fatetur. Quo bello commemorato poeta vehementer proximi interfecti admonitus est. Mea igitur sententia Propertius carmine 22 calamitatis, qua gens bello Perusino affecta est, commonefactus dolore magnopere redintegrato, ut mortuo carmine 21 monumentum collocaret, permotus est. Ergo Birtius et Hollsteinius carmina 21 et 22 diversis temporibus composita esse iniuria censent. Quae mea opinio etiam hac deliberatione confirmatur: in carminis 22 versibus 6—8 propinqui apud Perusiam interempti mentio fit, quae in formam παρενθέσεως redacta mihi quidem in hac elegia, in qua poeta de se ipse loquitur, haud bene quadrare videtur. Itaque carmen 22 primum e versibus 1—5 et 9—10 compositum fuisse existimaverim. Perusia autem in versu tertio commemorata poeta Galli mortui admonitus huic elegiam 21 dedicat. Qua scripta Propertius etiam in carmine 22 post Perusiam nominatam illam παρένθεσιν memoriam Galli exhibentem addidit, quae mea opinio eo confirmatur, quod vocabulum „propinqui" ipsum hic praeter exspectationem positum esset, nisi antea proximum quendam poetae apud Perusiam perisse audivissemus, ut quis hic propinquus fuerit, sciamus. Conexus vero versuum 5/6 nimis artificiosus, quin etiam malus mihi videtur. Praeterea παρένθεσις illa sententiarum progressum adeo retardat, ut duo ultimi versus 9/10 cum priore versu vix coniuncti pone claudicent. Si haec opinio recta est, in carmine 22 prius a poeta composito post versum quintum pentameter Propertio omittendus fuit. Quem ut versum deleret, poeta eo adductus esse videtur, quod carmine 21 iam scripto aequo versuum numero has duas elegias aequare atque inter se coniungere volebat. Utrumque enim carmen ex decem versibus constat. Sed tamen Leo [20] carmen 22 fragmentum atque initium maioris elegiae esse contendit. Quod ut diiudicem, nunc ad huius carminis interpretationem accedam.

Ut Vergilius in versibus Georgicon libri quarti ultimis, Horatius in primi libri epistula 20, Ovidius in amorum libri tertii elegia 15 et in Trist. IV 10 de se ipsis legentes certiores faciunt, ita Propertius in elegia I 22, quae est primi libri initio seorsum editi ultima, de patria loquitur, cuius mentionem in formam responsi ad interrogationem fictam Tulli amici dati redegit, cui totus liber dedicatus est. [21]

---

[20] Nachr. von der Königl. Gesellschaft der Wissenschaften, Gotting. 1898, p. 470 sqq.

[21] cf. I 1, 9:

Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
Saevitiam durae contudit Iasidos.

Priusquam vero ad carmen ipsum interpretandum accedam, poetae, quidquid quantumque vult, dicere licere animadverterim.

Versus 1:

Primus versus est:

> Qualis et unde genus, qui sint mihi, Tulle, penates,
> quaeris.

Quomodo hunc versum interpretamur? Leo eum tres interrogationes exhibere putat: 1) quo genere ortus, 2) ubi natus sit, 3) qualis patris domus sit. Unamquamque vero interrogationem responsum postulare atque Propertium, cum nihil diceret nisi non procul a Perusia in Umbria (v. 9/10) natum se esse, ad eas non satis respondisse ratus carmen fragmentum vocat. Sed singulas Tulli interrogationis partes non tam subtiliter disiungendas esse puto, sed unam eandemque variant sententiam. Grammatica constructio haec est: et ad vocabulum „qualis" et ad „unde" ex insequenti verbo „sint" „sim" animo addendum atque „genus" accusativus limitationis cum vocabulis „qualis" et „unde" coniungendum est. Sed quid singula verba significant? Sequor Rothsteinii interpretationem. Verbum „genus", cum et „Abstammung von einer Familie" et „Abstammung von einem Volksstamm" significare possit, ad „qualis" relatum originem „von einem Volksstamm" significat atque eo modo poetae natura et animus exprimitur. Nam ut unaquaeque gens ita Umbrica suas habebat proprietates. Sed cum poeta extrema in elegia Umbriam patriam nominet, ingenium atque animus satis luculenter conspicua sunt. — Birtii vero sententiam, qui putat „qualis" significare: „von welcher politischen Gesinnung", repudio. Nam 1) Birtio ter in eodem versu subiectum mutandum est, quod magnopere displicet. 2) Birtius carmen 22 publicas res spectare putat, quod in Umbria prope Perusiam natum se esse dicat poeta Octaviani hostem et Antonianorum fautorem se esse professum. Quam ad sententiam arbitrariam Birtius, ut novam vitae Propertianae temporum rationem confirmaret, adductus est. De qua re infra disseram. — Vocabulum „genus" ad „unde" revocatum significare videtur: „Geschlecht, Familie". Secunda interrogationis pars igitur est: „unde est tua gens?", ad quam responderi solum poterat: „Umbria me genuit." Nudam vero patriae Assisii (IV 1, 125) mentionem ieiunam esse existimo. Neque tertia interrogatio: „qui sint mihi penates", ut res domesticae diligenter exponantur, flagitat, quamquam Leo Propertio patre defuncto matrem domum administrasse dicendum fuisse putat. Quod, cum poeta primum hoc in carmine apud legentes se introducat, ridiculum esset. At postea (IV 1), iam prioribus carminum libris insignis, Propertius legentes etiam de rebus domesticis certiores fecit. Praeterea si iam hoc loco poeta de patris morte atque de matre locutus

esset, eadem, quae legentes iam cognovissent, in carmine IV 1 iterum dixisset, quod incredibile atque absurdum videtur. — Haec igitur tertia interrogatio solum significat: „Welches sind meine Penaten?“ = „Zu welchem Lande gehörig?“ = „Wo steht mein Vaterhaus?“ Etiam ad hanc quaestionem nihil aliud nisi „Umbria me genuit“ responderi poterat.

De versibus 3, 4, 5 infra verba faciam.

Versus 6—8:

Poeta de discordia Romana, qua Perusia atque patriae proxima regio vastatae sunt, locutus mentionem inserit Galli apud Perusiam interfecti. — Quod ad versus sexti primum vocabulum attinet, optimis codicibus „sit“ traditum est, quam lectionem repudio, 1) quod sensum non praebet, 2) quia tota in παρενθέσει poeta solum Etruriae ut personam alloquitur, qua de causa Scaliger „sis“ proposuit, quod propter sensum ineptum non probo. Nam poeta re vera dolet, cum „sis“ „du dürftest wohl sein“ vel „du mögest mir sein“ significet. Marklandi coniecturam „tu“ et Palmeri „sed“ repudio, quia a lectione et optimorum codicum (sit) et Italorum (sic) nimis discrepant. Quare Italorum codicum recentiorum lectionem „sic“ praefero, 1) quod maxime cum vocabulo „sit“ ceteris codicibus tradito consentit, 2) quia verbo „sic“ posito παρένθεσις, quae sententiarum conexum valde interrumpit — quomodo interposita sit, supra iam demonstravi — optime etiamsi extrinsecus cum priore versu coniungitur. Interpretor autem vocabulum „sic“ hoc modo: propter Romanorum discordiam, ut proelium apud Perusiam committeretur, fieri potuit, qua in pugna Properti propinquus interfectus est.

Versus 9/10:

In versibus 9/10 denique poeta longa parenthesi inserta responsum ipsum dat: „Umbria me genuit.“ Grammatica constructio haec est: quae pars Umbriae Perusiam proxima tangit atque cum Perusia planitie inter duas urbes (Perusiam et Assisium) sita coniuncta est. „supposito campo“ igitur ablativus instrumentalis est. Quod poeta ad illas tres interrogationes (v. 1), quarum secunda atque tertia inter se fere similes sunt, idem responsum dat, equidem eximium artificium esse puto. Si quis etiamnunc offendat atque carmen 22 fragmentum esse putet, haec dicam: Propertius poeta id, quod scribit, etiam sentit neque secundum propositum consilium carmina contexit. Quandoquidem patria ei nominanda erat, memoria Perusiae ruinarum revixerat. Qua calamitate diligentius depicta Propertium, ut erat filius illius regionis, maximo dolore affectum tamquam omnia oblitum patriae malorum memoriae se totum dare atque toto pectore trementem non nisi necessarium responsum dare minime miramur. Quicumque ergo

carmen 22 fragmentum esse dicit, mea sententia Propertio, vero poetae, magnam infert iniuriam.

Nunc ad quaestionem, quo tempore elegia 22 a poeta scripta sit, illustrandam accedamus. Ergo versus 3, 4, 5 spectemus:

Si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra,
Italiae duris funera temporibus,
cum Romana suos egit discordia cives.

E versibus 3, 4 Perusiam etiamtunc, cum Propertius hanc elegiam scripsit, ruinas fuisse clarissime elucet. Ex inscriptione autem latina (C. I. L. XI 1923):

AVGVSTO
SACR
PERVSIARESTITVTA

Perusiam templis Vulcani et Iunonis exceptis[22] deletam ab Augusto restitutam esse scimus. Quo anno id factum sit, compertum quidem non habemus. Sed Augustum, simulatque rerum potitus esset, urbem restitui iussisse non plane quidem denegandum, sed minime verisimile est. Praeterea ad urbis rudera amovenda atque aedificia restituenda spatio complurium annorum opus erat. Sed inde non multum lucramur. Maximi tamen ad tempus, quo haec elegia 22 composita sit, statuendum momenti haec verba sunt: „duris temporibus, cum Romana suos egit discordia cives." E vocabulis „duris temporibus" et „egit" illa dura tempora iam diu praeterisse atque concordiae cessisse elucet. Nam „dura t e m p o r a" de tempore modo praeterito non bene dictum mihi videtur atque perfectum „egit" discordiam nunciam plane desiisse et cives pace gaudere exprimit. Quando Romae aetas perpetuae concordiae exorta est? Birtius[23] et Hollsteinius (in diss.) inter annum tricesimum quintum et tricesimum secundum concordiam constitutam esse censent. Nam anno tricesimo sexto Sextus Pompeius a M. Vipsanio Agrippa apud Mylas victus Antonii iussu Mileti anno tricesimo quinto interfectus est. Quod factum Romani indicium concordiae inter triumviros restitutae esse putabant.[24] Anno autem 32. Octavianus denuo contra Antonium bellum gerere coepit. Birtius igitur atque Hollsteinius carmen 22 inter annos 35. et 32. compositum esse putant, quod mihi incredibile esse videtur. Nam e certis verbis: „. . . duris temporibus, cum Romana suos egit discordia cives" eo tempore, quo Propertius hanc elegiam scripsit, veram concordiam, non illam simulatam atque fictam, quae intra annos 35. et 32. fuit,

---

[22] cf. Dio 48, 14, 5: *καὶ ἡ πόλις αὐτή, πλὴν τοῦ Ἡφαιστείου τοῦ τε τῆς Ἥρας ἕδους, πᾶσα κατεκαύθη.*
[23] Rh. Mus. 70, 1915.
[24] v. B. Niese, Abriß der röm. Geschichte ed. III. p. 245.

civium animos inter se coniunxisse apparet. Nam etiamsi tum specie concordia restituta esse videbatur, odium partium tamen minime extinctum fuisse consentaneum est. Si vera pax fuisset, ut bellum tam cito redintegraretur, fieri non potuit. Propertium quoque illis indutiarum temporibus inimicitias civiles clam gliscentes animadvertisse pro certo habeo atque tum tamquam diris temporibus praeteritis respirantem, ut in elegia 22 facit, „discordia fuit, concordia est" dicere potuisse nego. Quod mea sententia non nisi illo tempore dicere potuit, quo reapse imperium pace augebatur, id est postquam Octavianus rerum potitus discordiae finem fecit. Sed ubi primum princeps regnum accepit, utrum eius dominatio tranquilla atque beata futura esset necne, non satis perspicuum erat. Augusto quoque rerum potito, priusquam concordia perfecta est, adversariorum odium pacandum erat eo, quod per nonnullos annos pacis auctorem et concordiae patronum se praestabat. — Ergo facere non possum, quin elegias 22 et 21, quam cum el. 22 artissime coniunctam esse supra demonstravi, circa annos 28./27. compositas esse concludam, quare facile causam cognoscimus, cur Propertius in carmine 22 de domesticis rebus et de patre, cum eum illum saucium militem (c. 21) itaque Octaviani adversarium fuisse putemus, verba non fecerit (cf. p. 13), sed patrem non nisi in carmine 21 nomine celato introduxerit.

Sed ut elegiam 22 ante annum 32. scriptam esse confirment, Birtius et Hollsteinius haec afferunt argumenta:

De elegiae 22 versu quinto Birtius haec dicit: „Hätte der Bürgerkrieg des Jahres 31 damals schon stattgefunden, so wäre die Angabe in ihrer Kürze sinnlos und ganz mißverständlich; denn im Jahre 30 hätte jeder Leser diese Zeile alsdann auf den Aktischen Krieg bezogen." Contra haec dicam: Quoniam Perusia in versu tertio nominata erat, quicumque elegiam legebat, de qua belli civilis parte ageretur, statim sciebat. Praeterea bella annorum 40./31. unum bellum habita esse existimo. Nam iidem adversarii, eaedem controversiae erant neque breves et falsas indutias annorum 35./32., ne Romani illas duas belli partes unum atque idem bellum haberent, effecisse arbitror. Mea quidem sententia hoc loco poeta de toto belli civilis tempore cogitat. Itaque carmen 22 post annum tricesimum demum compositum esse potest.

Alterum Birtii argumentum hoc est: Perusiae mentionem hoc loco parum apte factam nullo modo ad interrogationem „unde genus" respondere („Sie sei an den Haaren herbeigezogen") neque alia causa nisi odio Octaviani, qui Perusiam delevisset, explicari posse. Eiusmodi autem odium eo solum tempore, quo Augustus nondum timendus erat (id est ante annum 31.), exprimi potuisse. Si poeta sine ira et studio ad illam interrogationem „unde genus" respondere voluisset, ei dicendum fuisse: „Assisii in Umbria natus sum." Sed, ni fallor, eiusmodi

aperta patriae mentio nuda atque ieiuna fuisset. Quid magis consentaneum, quam poetam, cum patria ei nominanda esset, calamitatis Perusiae illatae meminisse atque summo dolore incensum querelis non pepercisse. Odii autem Octaviani nullum vestigium invenio; dolor patriae malorum, quorum auctores et Octavianus et Antonius fuerunt, exprimitur. Quare patriae illa velata mentio praecipuum mihi Properti poetae artificium videtur esse.

Neque tertium Birtii argumentum multum valere existimo. Censet enim spatio interiecto inter hanc elegiam 22 et secundi libri primam, in qua Propertius, si epica facultas sibi a Fortuna data esset, res gestas Augusti, inter ceteras Perusiam quoque deletam, carmine heroo laudibus se celebraturum esse dicit, poetae animum mutatum esse. Nam 1) in carmine 22 nullam odii Octaviani scintillam inveniri iam supra demonstravi. 2) Propertius libro primo gloriam assecutus [25] Maecenatis amicitiam sibi conciliaverat atque Augusti gratiam adeptus erat, quod fieri nullo modo poterat, si carmine 22 odium Octaviani expressum esset, qua re sola Birtii sententia, qui Propertium Augusti inimicum fuisse censet, collabitur. Quodsi poeta se res ab Augusto gestas celebraturum esse dicit, Perusia quoque deleta inter alias ei nominanda erat. Simul autem poeta hac necessaria calamitate dolere poterat, et e verbis II 1, 29 „eversosque focos antiquae gentis Etruscae“ mea quidem sententia poetam, cuius dolor vocabulis „eversos focos“ luculenter exprimitur, Etrusci cultus venerandae vetustatis admonentem Romanorum misericordiam excitare vel augere studuisse elucet. Itaque poetae animum mutatum esse quod putemus non est et ut duo illa carmina I 22 (una cum c. 21) et II 1 Augusto imperatore scriberentur, sane fieri potuit.

Denique ad opinionem suam de carmine 22 ante annum tricesimum secundum scripto Birtius idcirco adductus esse videtur, ut inter primum librum atque posteriores quam maximum intervallum intermitti posset, quo melius primi atque sequentium librorum sermonis differentia explicaretur. Hollsteinius quidem sermonis dissimilitudines collegit. Sed praeterquam quod plurimi locorum ab Hollsteinio allatorum violentius arcessiti esse mihi videntur, inter secundum et tertium, inter tertium et quartum librum non minus magnum progressum statuamus oportet; quin etiam progressum vere gravem: quod pentametri clausula non iam verbum quinque syllabarum, [26] sed duarum syllabarum est, hanc mutationem non inter libros I./II., sed II./III. factam esse videmus. Ceterum Propertium et verbis et syntacticis constructionibus quibusdam in Monobiblo raro, mediis in libris saepius, in ultimo libro iterum raro, aut in Monobiblo raro, paulatim magis magisque, aut in Mono-

---

[25] cf. II 7, 17: hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen.
[26] in libro primo octies, in libro II. septies, at in libro III. et IV. semel.

biblo saepe, postea minus minusque usum esse intellegimus. Itaque ex Hollsteinii opere poetam per totum vitae tempus sermonem semper variasse atque mutavisse et ingenii eius naturam mobilem atque commutabilem fuisse apertum fit. Quam perpetuam poetae artis mutationem explicandam esse opinor et naturali eius indolis auctu et Vergili amicitia — nam Propertius a Maecenate post primi libri editionem in poetarum coetum receptus erat —, qui collegam minorem, ut et sermonem purgaret atque mutaret [27] et hexametrum elegantius pangeret atque artem nimis anxiam atque angustam derelinqueret suumque fortius sequeretur ingenium commovisse videtur. Itaque ne hoc quidem Birtii argumentum multum valet. — Ergo quominus carmen 22 simulque cum hoc elegiam 21 circa annos 28./27. composita esse existimemus, nihil obstat, qua quaestione soluta illa Birtii sententia, qui Propertium ipsum militem saucium in c. 21 appellatum fuisse putat (cf. p. 14), prorsus corruit, quoniam poetam Octaviano, cuius favorem primo libro edendo sibi comparare vellet, se bello Perusino adversarium fuisse in memoriam revocavisse incredibile est.

Birtius carmen I 22 anno 32. scriptum esse ratus ceteras omnes primi libri elegias, cum el. I 22 quasi σφραγὶς Monobibli ultima esset, ante annum 32. compositas esse dicit, itaque intra annos 40. (I 21) — 32. Monobibli carmina pacta esse putat. Quo facto Birtius Propertium ipsum militem bello Perusino interfuisse arbitratus annum 56./57. eius natalem existimare coactus est, cum plurimi viri docti poetam circa annum 48. natum esse censeant. Sed cum Propertium illum saucium militem in carmine 21 nominatum esse non posse et elegias 22/21 Augusto demum imperatore scriptas esse posse iam demonstraverim, huic Birtii sententiae gravissima argumenta iam detracta sunt.

Nunc aliud argumentum, quo Birtius sententiam suam confirmare studet, inspiciamus. Ex carminis I 6 versu vicesimo:

Et vetera oblitis iura refer sociis

elegiam ante annum 32. scriptam esse concludit. Illud enim „sociis" imprimis Aegyptios significare atque hoc loco de iure Romanorum ab Aegyptiis violato agi arbitratur; quam fidem laesam causam belli Actiaci fuisse atque Tullum ad Aegyptiorum perfidiam ulciscendam missum esse. Sed mea sententia Birtius illum versum 20 falso interpretatur. Nam non socii Romanorum iura violaverunt, sed illud „oblitis" participium perfecti passivi est, [28] ut „die vergessenen Bundesgenossen" significet. Illi enim socii provincias significant, quae a praefectis avaris Romanorum expilabantur atque vastabantur. Birtius,

[27] ex. gr.: graecis substantivis in Monobiblo rarius, postea saepius, deminutivis in Monobiblo saepius, postea minus poeta usus est.

[28] cf. Verg. ecl. 9, 53 „nunc oblita mihi tot carmina" et Prop. I 19, 6 „oblito amore". V. Kühner, Lat. Gr. II 1, p. 111 et I p. 608.

qui provincias non „socios“ appellatas esse contendit, locis Ciceronis orationum Verrinarum quibusdam,[29] ubi provinciae quoque „socii“ nominantur, refellitur.[30] Quae mea opinio etiam vocabulis „refer“, id est „zurückbringen“ (ius iis, quibus demptum est) et „vetera“, id est „iura, quae antea iam habuerunt“ confirmatur. Praeterea si Birtii sententia recta esset, hoc loco pro „vetera“ genetivum „populi Romani“ potius exspectaremus, ut Rothsteinius[31] recte animadvertit. — Quod vero Birtius in hac elegia de expeditione quadam militari agi putat, falsum esse arbitror. Nam e versibus 13/14:

An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas
atque Asiae veteres cernere divitias

hoc in carmine de expeditione quieta agi clarissime elucet. Nam si hic de bello quodam ageretur, Propertius, quem a Tullo, ut comes secum proficisceretur, invitatum fuisse apertum est, de eiusmodi quietis rebus loqui non potuisset. Prorsus autem Birtii sententia locis in hoc carmine nominatis refutatur. Nam „Aegaeo salo“ v. 2, „doctas Athenas“ v. 13, „Asiae divitias“ v. 14, „mollis Ionia“ v. 31, „Lydia Pactoli“ v. 32 non expeditionem in Aegyptum, sed in Asiam provinciam faciendam indicant. — Quibus expositis in elegia I 6 de nulla alia re nisi de provinciarum administratione ab Augusto anno 27.[32] renovata cogitare possumus. Ergo hoc quoque argumentum Birtii nihil valet.

Monobiblon anno 27. editam esse versus III 25, 3 quoque testatur. Qua in elegia poeta puellam suam amatam atque poesin amatoriam valere iubet, postquam quinque per annos fidelissimus eius servus fuit. Fatetur enim:

Quinque tibi potui servire fideliter annos.

Quem versum non ipsius poetae amoris certum spatium indicare puto. Nam quo tempore poeta hoc carmen scripsit, amoris Cynthiae ardorem iam pridem resedisse consentaneum est. Cynthiae nomen enim toto in libro tertio bis tantum invenitur, in carminibus 25 et 21, quae amorem solutum iri iam praenuntiant. Praeterea in huius libri carminibus poetae animum ad rationem et doctrinam magis propensum esse nemo non intellegit, cum vivida atque ardens amatoriarum rerum descriptio magis magisque desinat. Quare equidem, quin Propertius illis „quinque annis“ tempus inter primum librum editum et hanc elegiam intermissum indicare voluerit, minime dubito. Poetae nempe, cum hac in elegia poesin amatoriam valere iubeat, spatium huius poeseos diligenter circumscribere maxime intererat. Itaque non habemus, quod cum Birtio numerum „quinque“ poeticam superlationem esse putemus, praesertim cum hoc carmen non sit epistula poetica puellae amatae missa,

[29] cf. ex. gr.: div. in Caec. 4, 12; 5, 17, act. pr. 14, 42.
[30] Vide quoque Mommsen, Staatsrecht III 724.
[31] append. p. 465.
[32] v. Dio 53, 15, 6.

sed legentibus, qui poetae opera penitus noverunt, destinatum esse appareat. — Tertium autem librum anno 22. a. Chr. n.[33] editum esse verisimile est. Inde primum librum non ante annum 27. in lucem prolatum esse posse elucet. — Secundus vero liber omnium fere consensu anno 26. editus est. Nam 1) poeta II 3, 3 a primo libro edito vix unum mensem praeterisse dicit:

vix unum potes, infelix, requiescere mensem,
et turpis de te iam liber alter erit.

Neque enim est, cur cum Birtio illud „unum mensem“ poeticam deminutionem habeamus, etiamsi ad verbum illud nos intellegere necesse non est. 2) Quo cum versu optime congruit, quod Propertius II 20, 21 dicit:

septima iam plenae deducitur orbita lunae,
cum de me et de te compita nulla tacent.

Quo ex loco equidem a primo libro edito, quo Cynthiae atque Properti amor clarus factus erat — hoc enim illud „compita“ significat —, usque ad secundi libri elegiam vicesimam scriptam septem menses praeterisse concludo. Poeta igitur circa sex menses in secundo libro componendo occupatus est. De vi autem atque auctoritate horum verborum (II 20, 21) nobis non dubitandum est, cum ii, qui hoc carmen legebant, quando primum poeta elegiis amorem suum confessus esset, certo meminissent.

Quibus omnibus expositis primum librum non ante annum 27. compositum esse posse apertum est. Iam vero nonnulla alia argumenta, quibus plurimorum virorum doctorum sententia de Propertio circa annum 48. nato confirmatur, afferam.

Ovidius in Trist. IV 10, 53:

Successor fuit hic (Tib.) tibi, Galle, Propertius illi:
quartus ab his serie temporis ipse fui

scriptores elegiacos Romanorum praestantissimos enumerat. Secundum hoc Ovidi testimonium ordo poetarum elegiacorum hic est: Gallus, Tibullus, Propertius, Ovidius. Cum Tibulli liber primus circa annum 27. editus sit, quo tempore Properti primum quoque librum in lucem prolatum esse demonstravi, Ovidius — poetam hoc loco, quo de re, quae ad omnes Romanos artium amantes pertinebat, agatur, erravisse (v. Birtium) putare nobis non licet — Tibullum non ideo solum, quod eius opus prius in lucem prolatum esset, priorem nominavit, sed etiam Tibullum prius quam Propertium natum esse necesse est. Si annus 54., ut plurimi viri docti censent, Tibulli natalis est, quin Propertius ante annum 48. natus esse non possit, non dubitandum est. Nam nisi spatium nonnullorum annorum inter Tibulli et Properti annos natales interesset, Ovidius Propertium Tibulli „s u c c e s s o r e m“ vix

[33] cf. Rothstein. Einleitung p. 11.

nominasset. — Sed Kalinka[34] Tibullum non anno 54., sed 60. vel etiam prius natum esse contendit. Itaque si mihi contigerit, ut Kalinkae sententiam redarguam, Propertium non ante annum 48. natum esse posse manifestum erit. Kalinkae vero sententia hoc Domitii Marsi disticho nititur:

Te quoque Vergilio comitem non aequa, Tibulle,
mors iuvenem campos misit ad Elysios.

Illud „Vergilio comitem" Tibullum eodem anno 19., quo Vergilium, mortuum esse satis luculenter ostendit. At maxime interest, quo illud „quoque" recovandum sit. „Non aequa mors", ni fallor, et ad Vergilium et ad Tibullum est referendum, id quod vocabulo „quoque" posito exprimitur. Uterque enim poeta praematura morte e vita decessit. Illud „iuvenem" non nisi ad verba „te, Tibulle" pertinet. Quod nimis artificiose[35] Kalinka interpretatur, qui „iuvenem" ad Vergilium quoque, quamquam quinquaginta unum annos natus erat, revocandum esse ratus Tibullum quadragesimum minimum vel quadragesimum quintum annum agentem morte abreptum esse, itaque anno sexagesimo vel etiam prius natum esse dicit. Sed quicumque hoc distichon simpliciter intepretatur, unum Tibullum „iuvenem" nominari itaque morientem non maiorem quam circa triginta quinque annos natum esse potuisse intellegit. Ergo ante annum 54. natus non est. Qua cum sententia Ovidi quoque distichon Trist. IV 10, 51 sq. congruit:

Vergilium vidi tantum neque amara Tibullo
tempus amicitiae fata dedere meae.

Quibus ex versibus Ovidium anno quadragesimo tertio natum Vergilium procul solum videre potuisse elucet, quod Vergilius (n. a. 70.) natu maior fuit, quam ut Ovidius eo familiariter uti posset. Cum Tibullo autem Ovidius amicitia coniunctus esse poterat, nisi ille ante tempus mortem subisset. Itaque Tibullum Ovidi fere aequalem fuisse necesse est. Nam cum nulla alia causa nisi Tibulli praematura mors, quominus amici fierent, impediverit, aetatum differentia haud magna fuisse potest. Ergo Tibullum pluribus quam undecim annis (n. a. 54.) Ovidio praestitisse cum Kalinka existimare non licet.

Aliud quoque argumentum, quo Kalinka sententiam suam confirmare studet, minimum valere puto. Affert enim Horati epistulae I 4 versum primum:

Albi, nostrorum sermonum candide iudex.

Si Tibullus circa annum 23., quo illa epistula scripta est, non maior quam triginta annos natus fuisset, Horatium, qui tum ipse annum quadragesimum alterum vel tertium egisset, poetam multo minorem sermonum suorum iudicem appellare non potuisse Kalinka putat. Sed

---

[34] Phil. 77, 1921, p. 213 sqq.
[35] cf. Troll, Bursian 208, 1926 p. 71.

equidem non intellego, cur hoc fieri non potuerit, praesertim cum Tibullus et Horatius amici fuerint,[36] quos alterum cum altero de operibus suis consultavisse verisimile est, atque cum Tibullus Deliae libro edito apud omnes tanta gratia floreret, ut eius iudicium multum valeret.

Etiam Horati carmen I 33 sententiae suae testimonio esse Kalinka arbitratur. Ibi Horatius Tibullum ne, cum puella amata adulescentem quendam praetulisset, nimis doleat, adhortatur. Quod carmen circa annum vicesimum septimum fere scriptum est. Plurimorum sententiam (n. a. 54.) si sequimur, Tibullus tunc duodetriginta circa annos natus erat. Kalinka autem, ut Tibullo duodetricesimum annum agenti a puella amata rivalis minor natu praeferretur, fieri non potuisse censet. Quare Tibullum tunc natu iam maiorem fuisse necesse esse arbitratur. Quae opinio arbitraria mihi videtur. Nam cum meretrices illa aetate libidinosae, mutabiles, avarae fuerint, non miramur, quod Tibullo duodetriginta annos nato puer fortasse sedecim vel duodeviginti annorum praepositus est. Addo quod Kiessling et Heinze (I 160) animadverterunt: Tibullus nondum maior quam duodetriginta annos natus aetatis mentione (v. 3) offendi non poterat. Sin autem re vera aetate iam senior fuisset, aetatis mentio levi vituperatione atque derisione non carebat, id quod Horatium propter amicitiam Tibulli vitavisse puto.

Quibus rebus omnibus expositis in usitata atque sollemni opinione de Tibullo circa annum quinquagesimum quartum nato perseverare optimum atque tutissimum esse arbitror. Quod iudicium verbis „obiit adolescens“ vitae Tibullianae confirmatur. Sed cum Tibullo circa annum 54. nato secundum Ovidi testimonium (Trist. IV 10, 53) supra commemoratum Propertius succedat, hunc circa annum 48. natum esse oportet. Cui sententiae nullo modo illa Properti elegia II 34, 85 obstat, ubi poetas elegiacos, qui ante eum floruerunt, commemorat atque Gallo postremo nominato versibus 93 sq. in horum poetarum numero semet ipsum mortuum Romanos habituros esse in optima spe ponit. Tibullum vero post Gallum nominare non poterat, quoniam Tibullus etiam tunc vivebat, scriptores vero, qui nondum mortui erant, a poetis nominari non solebant. Praeterea Propertius hac in elegia, ubi de gloria agatur, quam post poetae demum mortem florere constat, non nisi poetas iam mortuos nominare potuit.

Sententia de Propertio non ante annum 48. nato Propertiano quoque versu III 9, 57 confirmatur. Propertius a Maecenate, ut carmen epicum faceret, admonitus erat. Poeta autem abnuit, cum eiusmodi operi ingenti impar esset. V. 47 sqq. tamen se postea carmen epicum facturum atque bellum gigantum, Romae originem, res recentissimis temporibus gestas descripturum esse promittit, dummodo Maecenas iuventutem suam gubernare velit:

---

[36] cf. c. I 33 et epist. I 4.

v. 57: Mollis tu coeptae fautor cape lora iuventae.

Cum e verbis „coeptae iuventae“ tum, quod poeta aliquem sibi ducem sumit, eum hanc elegiam componentem non multo maiorem quam viginti annos natum esse elucet. Nam superbum poetam, si iam senior fuisset, admonitorem sibi electurum non fuisse puto. Tertius autem liber, in quo haec elegia est, non ante annum 26. scribi coeptus est. At cum Propertius, sententiam de eo circa annos 48./47. nato si sequimur, tunc annum fere vicesimum alterum vel tertium ageret, libenter ut aliquem sibi monitorem eligeret, animum inducere poterat, quod eum non facturum fuisse puto, si iam annum tricesimum primum vel alterum, ut Birtius censet, egisset.

Postrema causa, cur in sententia de Propertio ca. annos 48./47. nato permaneam, haec est: in Trist. IV 10, ubi Ovidius morem illorum temporum secutus legentes diligentissime de se ipso certiores facit, inter alios Propertium amicum suum nominat v. 45 sq.:

Saepe suos solitus recitare Propertius ignes
iure sodalicii, quo mihi iunctus erat.

„sodalicium“ significat: „Spielkameradschaft.“ Sodales autem eiusdem fere aetatis esse consentaneum est. Ex huius distichi unoquoque fere vocabulo Propertium Ovidio familiarissime usum esse elucet. Itaque duorum poetarum aetatis differentia tanta, quantam Birtius eam habet, fuisse non potest. Praeterea si Ovidius quattuordecim annis Propertio minor fuisset, non tam familiariter dicere poterat, sed verecundius ei erat loquendum. Insuper Propertium, qui esset poeta superbissimus atque sui pretii maxime conscius (cf. el. III 1), ut Ovidio multo minori elegias suas recitaret, ab animo impetrasse non puto. Itaque, quoniam Ovidius anno 43. natus est, Propertius non ante annos 48./47. natus esse potest atque, ut nunc ad rem supra tractatam redeam, Propertianorum agrorum assignatio, si poetae patrem illum militem fugientem in c. 21 appellatum fuisse recte suspicati sumus, non nisi post pugnam Actiacam facta esse potest. Propertius ergo in carmine 21 etiamsi haud perspicue atque plane memoriam earum rerum, quas ipse bello Perusino saeviente puer annum circa septimum agens vidit atque audivit: patrem vulneratum ex proelio redisse atque Galli patrui mortem nuntiavisse exhibet.

II. Quae ratio inter Properti elegiam IV 3 et Ovidi epistulas heroidum intercedat.

Quibus expositis ad alteram opusculi mei partem transeam. — Quoniam Propertium atque Ovidium aetate non multo inter se distulisse atque sodales amicissimos fuisse cognovimus, alterum cum altero de operibus suis locutum esse atque poetas invicem se incitasse consentaneum est. Itaque hac in opusculi parte, quae ratio inter Properti elegiam IV 3 et Ovidi epistulas heroidum sit, exquiram. Sed priusquam hoc faciam, Properti carmen IV 3 et critice et exegetice illustrabo.

Properti elegia IV 3 simili modo atque Ovidi epistulae heroidum formam habet poeticae epistulae. Nomen feminae, quae epistulam scribit, Arethusa est atque eius, cui litterae mittuntur, Lycotas. Etiamsi vero haec nomina ficta sunt, tamen hos homines re vera vixisse atque Propertium illius aetatis, ut carmen componeret, veritate adductum esse e carmine ipso quoque elucere puto. — Primum igitur, utrum qui homines sub his nominibus abditi sint perspicere possimus necne, quaeramus. Ac nonnulli viri docti [37] Arethusam pro Aelia Galla et Lycotam pro Postumo dictum esse censent, quibus Properti amicis elegia III 12 dedicata est. Quae opinio argumento quidem elegiarum III 12 et IV 3 commendatur. Nam in utroque carmine de expeditione in remotum orientem facta (cf.:

III 12, 3 tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
8 potabis galea fessus Araxis aquam,
IV 3, 67 domitis Parthae telluris alumnis)

agitur, qua amantes separantur. Tamen propter duas causas haec sententia repudianda mihi videtur: namque primum apud poetas antiquos mos erat, ut nomina ficta eandem quantitatem eundemque numerum syllabarum quem vera haberent ita, ut omnes, qui poetae consilium noverant, facile mutato nomine legere possent. Velut Horatius carm. II 12, 13 Licymniam pro Terentia scripsit et apud Persium: „Auriculas asini Mida rex habet“ Mida pro Nero est. De aliis poetis Apul. apol. 10 addiderim: „eadem igitur opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit: et Ticidam similiter, quod quae

[37] Broukhousius, Butler.

Metella erat, Perillam scripserit: et Propertium, qui Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet: et Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu.“[38] Quam propter legem ut hoc Propertiano loco de Galla et Postumo cogitemus quoniam fieri non potest, alterum accedit argumentum, quod, cur poeta hos homines modo veris appellaverit nominibus, tunc autem iis ficta nomina dederit, non intellegitur. — Rothsteinius quidem nomen „Lycotas“ pro Luperco, Arriae filio, cuius mortis in el. IV 1, 93 mentio fit, scriptum esse opinatur. Quae sententia, etiamsi lege illa metrica non refellitur, tamen recta non esse mihi videtur. Nam in elegia IV 1, 93 de Arria matre sola dicitur, neque ullo loco praeter eam aliam personam (uxorem, ut in el. IV 3) morte Luperci dolore affectam esse cognoscimus. Immo, e versibus:

89 cum geminos produceret Arria natos,
90 illa dabat natis arma,
91 non posse ad patrios sua pila referre Penates

equidem Lupercum nondum uxorem duxisse concludo. Nam si maritus fuisset, uxor militem ad pugnam proficiscentem ornavisset[39] atque aliquo loco commemorata esset. — Quae igitur vera illorum hominum fuerint nomina, ea quaestio solvi non posse mihi videtur. — Iam vero in singulis versibus sententiarum progressionem atque ea, quibus explicatis opus est, illustrabo.

1. distichon:

Primo disticho feminam, quae epistulam scribit, eumque, cui mittitur, cognoscimus. Arethusa ad Lycotam maritum suum, si suus esse possit, cum totiens absit, mandata mittit. Cum Ovidius in Heroidum primis versibus, quas Propertianae elegiae simillimas esse infra demonstrabo, auctores „litteras“ vel „verba“ vel „salutem“ mittentes faciat, Properti Arethusa „haec mandata“ scribit.

Codices NFL quidem verbum „haec“ omiserunt. Sed legibus metricis prohibentibus in initio versus vox „Arethusa“ esse non potest. Nam utraque syllaba et A et re brevis est (cf. Verg. Aen. III 696:

Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis).

Vocabulum „haec“, quod versus initium faciat, maxime idoneum esse mihi videtur, quod Arethusa eam ipsam epistulam, quam scriptura est, Lycotae suo mittit. Quin etiam „haec“ a poeta scriptum esse verisimile est, cum Ovidius eodem initio in epistulis quibusdam heroidum similibus (v. infra) usus sit (cf.:

---

[38] Qua de re vide Ric. Bentleii adnotationem ad Hor. carm. II 12, 13.

[39] cf. Ov. Her. 13, 139:

ipsa suis manibus forti nova nupta marito
  imponet galeam barbaraque arma dabit . . .
producetque virum . . .

Her. I 1 Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe;
Her. XV 1 Hanc tibi Priamides mitto, Ledaea, salutem).

Verbis „haec mandata“ cum poeta usus esset, statim id, quod femina mandat, afferendum erat, ut vocabulum „haec“ flagitat atque duobus locis, ubi verbo „mandatum“ Propertius utitur, invenitur. Nam et in el. III 16, 7 quae sint mandata intellegimus, quia id, quod mandatur, antea dictum est, et in el. IV 7, 71 quia vocabulum ipsum singula mandata excipiunt. Hac autem in elegia a sexagesimo tertio demum versu usque ad finem, quid Arethusa mandet, 1) ut maritus feros hostes caveat, 2) ut fidem servet, 3) ut denique ad se revertatur, audimus. Quae res sic explicari potest: dum Arethusa in primo versu de mandatis, quae in epistula scriptura est, dicit, statim, ut nonnullae litterae propter lacrimas deleantur vel manu tremente non satis perspicuae sint, fieri posse cogitat. Itaque mandatis locus non iam erat. Iam enim causam, cur fleat et manus tremat, aperit atque eo modo adducitur, ut usque ad versum sexagesimum tertium malum, quo affecta est, atque suam ipsius vitam tristem desertamque diligentissime describat. —

Altero versu vocabulum „suo“ explicatur.

2., 3. disticha:

His distichis Arethusa duas causas, cur nonnulli epistulae loci haud perspicui esse possint, affert. Si quo loco litterae prorsus deessent, id lacrimis effectum esse. Vocabula „oblita“ et „litura“ ab usu tabellarum ceratarum repetita sunt. Nam in his litterae scriptae cera linenda et polienda deleri poterant,[40] quo litura efficiebatur. Arethusam autem charta, in qua atramento scribebatur, usam esse e vocabulo „lacrimis“ elucet, cum littera non nisi tali ratione scripta humore deleri possit. Haec sententia ac dictio, quam apud Propertium hoc uno loco invenimus, in litterarum sermone saepe invenitur. (cf. Cic. ad fam. XIV 3: „accepi ab Aristocrito tres epistolas, quas ego lacrimis prope delevi“ et Ov. Trist. I 1, 13:

neve liturarum pudeat! qui viderit illas,
de lacrimis factas sentiat esse meis;

Trist. III 1, 15: littera suffusas quod habet maculosa lituras,
laesit opus lacrimis ipse poeta suum

et cf. p. 54.)

Litterae alicuius non satis perspicue aut non satis certe ductae causam manum trementem esse Arethusa dicit.

Quod rem palaeographicam attinet, in versu quinto codice Neapolitano „aut“, DV „ac“, FL „at“ traditum est. Vocabulum at hoc loco minime aptum est, quia semper priori sententiae oppositum est. „Ac“

---

[40] id quod stilo verso fiebat, cf. Hor. sat. I 10, 72 „stilum vertere“.

duas eiusdemmodi sententias artissime coniungit. „Aut“, quod inter duas res nos delectum habentes facit, verisimilius est, primum quod Neapolitano, optimo omnium codicum, traditum est, deinde, quod Arethusa non de duabus rebus, quae evenerunt, sed quae evenire possunt, loquitur.

Arethusa de incerto litterarum tractu dicit. Codices „tractu“ exhibent. Heinsius pro „tractu“ „ductu“ scripsit. Rothsteinius recte vocabula „tractus“ et „ductus“ idem significare monet. Etiamsi plerumque „ductus“ de litteris dictum esse videtur, [41] tamen non habemus, cur Propertium vocabulo „tractus“ usum esse negemus. Nam illud vocabulum a sermone agresti petitum de aliis quoque rebus dicebatur. Exempli gratia affero: tractus arborum, tractus flammarum, tractus muri, tractus orationis, tractus verborum. Ea de causa equidem, quin Propertius „tractus“ dixerit, non dubito, praesertim cum omnibus codicibus traditum sit, atque Heinsium iniuria „ductu“ scripsisse existimo.

4., 5. disticha:

A versu septimo Arethusa mala, quibus affecta sit, describere incipit atque coniugem tam saepe diuque abesse queritur. Remotarum illarum regionum, in quibus iam versatus est, enumeratio his quattuor versibus facta eo cum prioribus distichis continetur, quod et litterarum prae lacrimis et tremore non perspicue scriptarum causa et illud „cum totiens absis“ accuratius explicatur. — Adverbium „modo“ repetitum maritum saepe abesse atque in diversissimas regiones proficisci indicat. Lycotas ergo sex bellis interfuit: binis apud Bactros, singulis et apud Neuros et Getas et Britannos et Indos. E versu autem duodevicesimo Lycotam tunc quartum abesse apparet. Itaque bis binas expeditiones singulis comprehendere necesse est: atque itinera in Neuros Getasque facta unum esse ex eo concludere nobis licet, quod fines harum gentium inter se attingunt. Simili modo et primum bellum cum Bactris gestum et impetum in Indos factum uno itinere fieri potuisse verisimile est.

Verba „Bactra per ortus“ non sunt in Neapolitano. In ceteris codicibus F1 L D V1 „blactra per ortus“ scriptum videmus. Quomodo factum sit, ut scriptor Neapolitani haec verba omiserit, miramur. Sed „blactra“ in archetypo fuisse videtur. Quare scriptor Neapolitani finem versus, ni fallor, non scripsit, quod in verbo „blactra“ offendit. Nam mea sententia nihil nisi quod intellegere poterat, scribere malebat. „blactra“ levis corruptela est. „Bactra“ hoc loco sine dubio scribendum. Nam v. 63 Arethusa dicit: „ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris.“ — Nunc ad verbum „iteratos“ accedamus, quod codicibus traditum est. Polsterus hoc verbum in „mitratos“ mutavit. Quod,

[41] cf. Col. 6, 5, 4 „litterae ductus“ et Quint. 10, 2, 2 „litterarum ductus“.

quia hoc loco suum quaeque gens (Neuricus hostis, Getae, Britanni) epitheton habet, Bactris quoque epitheton ornans addendum esse ratus et loci Propertiani IV 7, 62:

mitratisque sonant Lydia plectra choris

et Pliniani N. H. VI 28, 162: „Arabes mitrati degunt aut intonso crine . . .“ memor scripsisse videtur. Equidem „iteratos“ scribo. Nam traditum est. Interpretor vero hoc modo: Lycotas iterum terras orientis peragravit. Comparo Hor. carm. I 7, 32:

cras ingens iterabimus aequor.

Versus 8:

In omnibus codicibus „munitus“ scriptum videmus. Quod epitheton hosti Neurico attribuendum est, ut „equo“ ablativus sit instrumentalis. Quae lectio mihi verisimilis non esse videtur. Nam insolita dictio est. Iure Beroaldus „munito“ scribendum esse monet. Nam hostes cataphracti pugnant: id est: et hostes et equi ferro vel auro muniti sunt. Cf. Prop. III 12, 12 „Ferreus aurato neu cataphractus equo“. — Nunc accedamus ad verbum „Neuricus“. In codicibus NFL „hericus“, in D „hernicus“, in V „heuricus“ scriptum est. Lectiones „hericus, hernicus, heuricus“ certe corruptae sunt. Nam gentes horum nominum ignotae sunt. Beroaldus ex codicum corruptelis „Sericus“ refinxit. Quae coniectura iure displicet. Nam Plinio teste N. H. VI 17: „Seres mites quidem, sed et ipsi feris similes coetum reliquorum mortalium fugiunt . . .“ Seres potius mitem et mollem vitam degebant quam equitatu ferrato excellebant neque unquam cum Romanis bellum gesserunt, quoniam in extremo orbe terrarum, quae regio hodie China vocatur, habitabant. Alius vir doctus „Noricus“ restituit. Neque hanc coniecturam probamus. Nam Noricos ut Germaniae populos [42] propter naturam regionum, in quibus habitabant, non munitis equis, sed levissimo equitatu usos esse non temere confirmo. Iacob „Neuricus“ proposuit, quam coniecturam probo. Quod ad artem palaeographicam attinet, „Neuricus“ maxime commendatur. Neuri, gens Sarmatica, regionem intra Istrum et Tyram vel etiam Borysthenem flumen [43] sitam incolebant. Sarmatas autem Tacito auctore [44] cataphractis equis pugnavisse constat.

Versus 9:

Britanni e curru pugnare solebant, id quod Caesar saepissime narrat. [45] Schraderus propterea, quod Britannos corpora tingere solitos

---

[42] cf. Tac. Germ. 6: „et eques quidem scuto frameaque contentus est, pedites . . . nudi aut sagulo leves.“

[43] cf. Plin. N. H. 4, 88: „Neuroe, apud quos Borysthenes oritur“.

[44] Hist. 79: „. . . lapsantibus equis et cataphractarum pondere“.

[45] cf. Caes. B. G. IV 24: „at barbari . . . praemisso equitatu et essedariis, quo plerumque genere in proeliis uti consuerunt“ et IV 33: „genus hoc est ex essedis pugnae.“

esse constat, „vultu" scripsisse mihi videtur. Sed cur vocabulum traditum non servemus, etiamsi Britannos currus quoque pinxisse alius auctor non refert?

Versus 10:

Consensu omnium codicum traditum est: „ustus et Eoa discolor Indus aqua". „Ustus" hominem, qui sole coloratus est, significat.[46] Quare coniecturas: vastus, pastus, tunsus, postus non probo. — Quamquam codices „discolor" exhibent, tamen Passerati coniectura „decolor" recta esse mihi videtur. Nam Indi non varii coloris sunt, sed a Romanis colore fusco differunt. „Discolor" autem proprie „buntfarbig" significat.[47] „Decolor" autem de colore mutato dicitur atque nonnullis locis, quibus de India agitur, invenitur: Ov. met. 4, 21 „decolor extremo qua tingitur India Gange", Sen. Phaedr. 345 „virgatas India tigres decolor horret", Ov. ars 3, 130 „quos legit in viridi decolor (discolor?) Indus aqua", Trist. 5, 3, 24 „quascumque bibit decolor (nonnulli codd. disc.) Indus aquas", Prud. ham. 497 „decolor Indus". Hoc Propertiano loco in Thes. V 199 quoque decolor scriptum est. — Quod „ustus" et „decolor" sine ulla copula substantivo „Indus" attribuuntur, quamvis non saepe accidat, tamen non insolitum est. Participium „ustus" artissime cum „Indus" cohaeret. Quia Indus sole ustus est, decolor nominatur. Similem locum in Cic. Tusc. 5, 61: „in aureo lecto strato pulcherrimo textili stragulo magnificis operibus picto" et Caes. B. G. II 29, 3: „locum duplici altissimo muro munierant" invenimus. „Eoa aqua",[48] quae lectio tradita est, locativum esse atque Indum flumen aut mare Indicum significare censeo.

Quibus annis singula bella, quorum his versibus mentio fit, facta sint, certo statuere vix possumus. In Neuros quidem Getasque annis 29.—27. a M. Crasso[49] et anno 16. a. Chr. n.[50] pugnatum est. Primum bellum in orientem susceptum nullum aliud fuisse nisi magnum illud ab Augusto anno 20.[51] institutum puto, quo tempore pars quidem exercitus usque in Armeniam pervenit. Quod si ita est, superlatione utitur Arethusa, quae optime cum animo eius sollicito anxioque convenit. Ut Lycotas iterum in Asia (v. v. 36 et 63) stipendia mereretur, fortasse eo effectum est, quod Romani novo bello cum Parthis post annum 20. implicabantur, id quod ex Horati epistulae II 1 anno 14.

---

[46] cf. Forcellini s. v. „uro".

[47] cf. Beck, De differentiarum scriptoribus Latinis, Groning. 1883, p. 51: „discolor dispare colore est, vel est varius, ut pardus. Gloss. ἀλλόχροος ἑτερόχροος, ποικιλόχρωμος. cf. Thes. V, 1336.

[48] cf. Commentat. Woelffl. p. 152.

[49] v. Dio Cass. 51. 23, 2 sqq.

[50] v. Dio Cass. 54, 20.

[51] v. Dio Cass. 54, 9, 4.

scriptae versu 112 „invenior Parthis mendacior“ concludo, de quo Mommsen[52] haec dicit: „Der Scherz des Dichters, daß er sein Versprechen, auf ewig die Muse zu meiden, noch schlechter halte als die Parther ihre Zusagen, ist von historischem Interesse; denn diese Zusagen können nur bezogen werden auf die auch im ersten Buch der Episteln erwähnte Unterwerfung des Phraates im J. 734. Es müssen also nach diesem Vertrag abermalige Verwicklungen eingetreten sein.“ Contra Britannos vero Caesaribus imperatoribus, priusquam Claudius imperium suscepit, nulla expeditio facta est. Itaque aut Arethusa, cum coniunx ultra Galliam Belgicam progressus esse vix possit, quod ad res geographicas attinet, verum egreditur aut Lycotas in pace ad principum Britannorum aliquem legatus missus est, quod mihi quidem minus probabile videtur, quia totum carmen de bello est (v. v. 19 sq., 23 sq., 45 sq.).

6. distichon:

Quibus peregrinationibus enumeratis Arethusa maritum totiens absentem esse cum memoria teneat, summo dolore affecta exclamat:

haecne marita fides et pactae praemia noctis?

Quae lectio quidem in codicibus non est. Lectiones codicum FLN, quae legibus metricis repugnent et sensum non praebeant, corruptas esse apparet. Codices DV exhibent: „hae sunt pactae mihi noctes“, quam lectionem, quamquam sensu non caret, tamen, cum ceteri omnes codices FLN et V2 post πενθημιμερῆ „et“ habeant, rectam non esse concludo. Eadem de causa illud „pactae et mihi gaudia noctis“[53] repudio. Rothsteinius „et pactae in gaudia — vocabulum „savia“, quod Haupt pro „gaudia“ scripsit, non probo, quia Propertius hoc verbo nunquam usus est — noctes“ legit, cui lectioni illud „et pactae praemia noctis“[54] praefero, quia hoc loco non nisi de nocte nuptiali (cf. v. 12) agitur atque fides marita praemium — „praemium“ iam Postgate et Housman[55] legerunt — illius noctis est.

Vocabulo „noctis“ sententia temporalis (cum . . .) se adiungit. Illud „bracchia victa dare“ saepissime apud poetas amatorios invenitur et ex sermone militari[56] repetitum significat „se alicuius uxorem (maritum) fore promittere“. „Rudis“ amoris et eorum, quibus homines amantes affici solent, sensuum imperitus appellatur.

---

[52] Gesammelte Schr. VII p. 178.
[53] Löschhorn, Berl. Philol. Wochenschrift 1920, 168.
[54] Foster, Class. Philology II 1907, p. 218.
[55] Journal of philol. 16, 1888, p. 13: „haecne marita fides et primae praemia noctis?“
[56] cf. René Pichon, De sermone amatorio apud Latinos elegiarum scriptores, Paris. 1902, p. 19 sqq.

7., 8. **disticha**:

Arethusa postquam priore disticho dolorem, quod ea, quae de conubio speraverit, sibi non contigerint, expressit, de infaustis in nuptiis ominibus recordata haec quattuor enumerat: 1) facem nuptialem rogo incensam, 2) se ipsam aqua Stygia aspersam, 3) vitta — „vita" omnibus codicibus Neapolitano excepto traditum ineptum est — nuptiali non recte texta crines suos cinctos esse, 4) deum se prosecutum non esse opinatur. Ut singula accurate intellegamus, quo modo nuptiae apud Romanos factae sint, nobis cognoscendum est. Iam pridie diem nuptiis destinatum sponsa veste virginali (toga praetexta) deposita, [57] ut apud iuvenes quoque fiebat, priusquam togam virilem sumebant, [58] ante somnum ominis causa tunica recta vel regilla, vestimento matrimonio conveniente, et reticulo induebatur. [59] Quae vestis nuptialis vittaque [60] felicis ominis causa „rectae", i. e. staminibus antiquo more desuper pendentibus, non ad libellam tentis texendae erant. [61] Quibus expositis illa verba „nec recta capillis vitta data est" hoc solum modo intellegenda esse puto, ut crines vitta non recte texta cincti sint, at non, ut velamentum non iusto modo circumdatum sit. — Postquam nuptiarum caerimonia ipsa cum sacrificio cenaque coniuncta facta est, sub vesperum nuptae deductio locum habebat. Sponsam quasi e sinu parentis abreptam [62] multitudo exsultans pompa sollemni domum mariti prosequitur. Tibicines [63] et pueri, qui faces ferunt, [64] praeeunt. Nupta a tribus pueris patrimis et matrimis ducitur, ex quibus unus facem praefert, duo puellam deducunt. [65] — Hac in Propertiana elegia participium

[57] cf. Fest. p. 245, 11 M „depositis praetextis" et Prop. IV 11, 33 „mox ubi iam facibus cessit praetexta maritis".

[58] cf. Fest. p. 289 M „ut etiam in togis virilibus dandis observari solet".

[59] cf. Fest. p. 286 M „regillis, tunicis albis, et reticulis luteis, utrisque rectis, textis sursum versum a stantibus pridie nuptiarum diem, virgines inductae cubitum ibant ominis causa" et Plin. N. H. 8, 194 „ea (Tanaquil) prima texuit rectam tunicam, quales cum toga pura tirones induuntur novaeque nuptae."

[60] cf. Prop. IV 11, 34: „vinxit et acceptas altera vitta comas."

[61] cf. Fest. p. 277 M „rectae appellantur vestimenta virilia, quae patres liberis suis conficienda curant ominis causa, ita usurpata, quod a stantibus et in altitudinem texuntur" et Isidor. or. 19. 22. 18 „recta dicitur vestis, quam sursum versum stantesque texunt".

[62] cf. Fest. p. 289, 4 M „rapi simulatur virgo ex gremio matris aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur, quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit" et Catull. 61, 3 „qui rapis teneram ad virum virginem, o Hymenaee".

[63] v. Plaut. Cas. 4, 3, 1 „age, tibicen, dum illam educunt huc novam nuptam foras . . ." et Ter. Adelph. 5, 7, 6.

[64] cf. Serv. ad Buc. 8, 29: „Varro . . . (sponsas) ait faces praeire."

[65] cf. Fest. p. 245, 1 „patrimi et matrimi pueri praetextati tres nubentem deducunt; unus, qui facem praefert ex spina alba, quia noctu nubebant, duo, qui tenent nubentem."

„deductae“ non rem iam factam, sed deducendi actionem ipsam significat (i. e.: dum deducor). Fax, quae pompae nuptiali praefertur, ipsa omen fert. Propertius igitur modo activo pulcherrime utitur. (Similem dictionem apud Prop. II 1, 75 invenimus:

si te forte meo ducet via proxima busto.)

Pro „omen“ F 1 L „omni“ habent, quae lectio iure displicet, quia sensu caret. Livineius sine ulla causa „lumen“ scripsit, quae coniectura non necessaria, quin etiam peior est, primum quod „omen“ traditum est, deinde quod idem vocabulum „lumen“ in eadem sententia bis positum esset et verborum vis minueretur.

Cum fax nuptialis foci igne sancto inflammari soleat, Arethusa propter matrimonium infelix, quin sua taeda rogo everso incenderetur, fieri non potuisse arbitratur. Quae opinio apud antiquos Romanos pervagata fuisse videtur. [66] — Optime poeta Arethusam huius taedae infelicis lumen „nigrum“ appellantem facit. Vocabulo „niger“, quod hoc loco idem atque „infaustus“ aut „funestus“ est, [67] homo antiquus facile tenebrarum feralium, quas animam corporis combusti intrare putabat, admonebatur. [68] — Cum pompa nuptialis ad coniugis tectum advenit, sponsa aqua pura de fonte aliquo hausta aspergebatur, ut pura domum viri subiret aut aquam (et ignem) cum marito communicaret. [69] — Arethusa autem se aquam de Styge flumine haustam ad nuptias suas adhibitam esse opinari dicit. Stygia autem aqua vim magicam

[66] cf. Val. Max. 9, 1 de L. Catilina: „filium suum, quem solum aetate iam puberem habebat, veneno sustulit: protinusque ex rogo eius maritalem facem accendit“ et Ov. met. VI 432 „Eumenides tenuere faces de funere raptas“ et Ov. Her. II 120.

[67] cf. Stat. Theb. IV 135:

Furiarum lampade nigra
quinquaginta ardent thalami

et Ov. Ib. 217 sq.:

lux quoque natalis, ne quid nisi triste videres,
turpis et inductis nubibus atra fuit.

[68] cf. Hor. carm. IV 12, 27 „nigrorumque memor, dum licet, ignium“ et Ov. fast. II 561

conde tuas Hymenaee, faces et ab ignibus atris
aufer;

cf. quoque Rothsteinii adnot. ad Prop. II 11, 4 in ed. I. p. 285.

[69] cf. Serv. ad Verg. Aen. IV 103 „quae conventio eo ritu perficitur, ut aqua et igni adhibitis, duobus maximis elementis, natura coniuncta habeatur“ et Fest. p. 87 „aqua aspergebatur nova nupta, sive ut casta puraque ad virum veniret, sive ut ignem atque aquam cum viro communicaret“, item Varro apud Serv. ad Verg. Aen. IV 167 „aqua petita de puro fonte per felicissimum puerum aliquem aut puellam interest nuptiis.“

funestamque habere putabatur.[70] — In nuptiis atque imprimis in deductione Hymenaeus invocabatur atque pompam comitari putabatur.[71] Ita hac in elegia deus, de quo Arethusa dicit, Hymenaeus est. Nomen Ὑμήν [72] idem quod apud antiquos Indos „syuman" significat: Band, Riemen, Naht. Ergo Hymenaeus ille deus est, qui virum atque puellam coniungit. Quid igitur magis consentaneum est quam, cum aliquod matrimonium infelix esset, illum deum sponsam deductam comitatum non esse veteres putasse.[73]

9. distichon:

Hoc quoque in disticho querela de coniuge saepe atque diu absente est. Arethusa enim iam ad omnes portas, quae ad diversas terrae regiones, in quibus Lycotas militavit, spectant, vota se suspendisse et iam quartam lacernam marito texere dicit. Quid est illud „noxia vota"? Equidem locum, quo Rothsteinii sententia, qui „noxius" significare putat „das, was geschuldet wird", nitatur atque confirmetur, afferri non posse arbitror. Mea vero sententia hoc loco „noxia vota" dona eius sunt, qui culpa aliqua tenetur. Arethusam autem ita de se sentire superioribus, quae de matrimonio sunt, explicatum est. Quare non mirum est, quod omnia, quae a se proficiscantur, itaque dona ad portas suspensa dis non grata, sed invisa esse putat. — Illas portas urbis Romae, non domus vel templi esse 1) e versu 71, ubi de simili ratione dicitur, 2) ex eo elucet, quod porta de urbis aditibus, non autem — paucissimis locis exceptis — de aedibus[74] dicebatur, quarum aditus ianua vel foris nominantur. Arethusam autem vota in urbis portis ipsis suspendisse credere non possum, immo de aris potius et sacellis Larum Vialium, quorum sacra in viis et, quod hoc loco est, ad portas

---

[70] cf. Hor. epod. 5, 26 „spargens Avernales aquas", ubi Canidia venefica ea utitur, et Verg. Aen. IV 512:

sparserat et latices simulatos fontis Averni,

quo latice Dido rogum, in quo Aeneae gladio pectus suum transfossura est, aspergit, item Ov. Ib. 221 sqq.:

qui simul impura matris prolapsus ab alvo
Cinyphiam foedo corpore pressit humum,
. . . .
protinus Eumenides lavere palustribus undis,
qua cava de Stygiis fluxerat unda vadis.

[71] v. Cat. 61 et 62.

[72] v. Prellwitz, Gr. Etymol. p. 475 et Wiedemann, Bezzenbergers Beiträge 27, p. 212.

[73] cf. Ov. met. VI 428:

non pronuba Juno . . . non Hymenaeus adest.

[74] cf. Ov. am. I 9, 20 „hic (miles) portas frangit, at ille (amans) fores."

erant, hic cogitare rectius mihi videtur.[75] „Omnibus portis" locativus est atque sequenti pentametro definitur: illa enim verba „texitur haec . . . quarta lacerna" Lycotam nunc quartum abesse (v. 7—10) significant.[76]

10., 11. disticha:

Arethusa, ut est tristis atque deserta, eum, qui bellum „invenit" itaque malorum omnium suorum auctor est, exsecratur. Quae detestatio apud poetas elegiacos τόπος est usitatissimus.[77] Cf.:

Prop. I 17, 13 a pereat, quicumque rates et vela paravit
primus et invito gurgite fecit iter!
Prop. I 11, 30 a pereant Baiae, crimen amoris, aquae,
II 33, 3 atque utinam pereant, Nilo quae sacra tepente
misit matronis Inachis Ausoniis!
II 33, 27 a pereat, quicumque meracas repperit uvas
corrupitque bonas nectare primus aquas!
Tib. I 4, 59 at tua, qui venerem docuisti vendere primus,
quisquis es, infelix, urgeat ossa lapis,
item I 4, 67, I 5, 48, I 10, III 4, 62.

Hic malorum auctor, quem Arethusa exsecratur, de arbore, quae ob eam ipsam causam, quod fructus profert, meliorem fortunam meretur neque, qua ad malum faciendum homo utatur, digna est (id enim significat „immerita") lignum, quo sudes faceret, desecuit (carpsit) — illud „saepsit" ab Heinsio propositum non modo non necessarium, sed etiam multo minus pulchrum est —, qua re arbor immerita deleta est. Hic ingratus animus simili modo ac tubae querulus sonus militiae asperae convenit. „Rauca per ossa" arte cum „querulas" coniungendum est. Tuba enim querulum per ossa rauca sonum mittit. Quamquam illis temporibus tubae Romanorum aeneae erant,[78] Propertius hoc loco eas ex ossibus factas dicit, sive quod ea, quae fama de tibiis refert,[79] ad tubam transfert, sive quod illis temporibus antiquissimis, quibus „belli inventor" fuit, tubas, quod illorum hominum moribus

---

[75] cf. Plaut. Merc. 865 „invoco vos lares viales, ut me bene tutetis" et Lucr. I 315 sqq.:

tum portas propter aena
signa manus dextras ostendunt adtenuari
saepe salutantum tactu praeterque meantum.

[76] cf. Ov. Fast. II 745:

mittenda est domino — nunc, nunc properate puellae,
quam primum nostra facta lacerna manu.

[77] cuius de origine cf. Leo, Plaut. Forsch.[2] 151 sq.

[78] cf. Daremberg-Saglio V p. 524.

[79] cf. Hygin. fab. 165 „Minerva tibias dicitur prima ex osse cervino fecisse" et Callim. hymn. Dian. 244 *οὐ γάρ πω νέβρεια δι' ὀστέα τετρήναντο ἔργον 'Αθηναίης ἐλάφῳ κακόν.*

asperis melius conveniat, ex ossibus factas esse cogitat. — „Inventorem“ illum Arethusa hac affici cupit poena: digniorem eum quam Ocnum — „Oeno“ omnibus codicibus Neapolitano excepto traditum levis corruptela est — esse, qui in tartaro funem torqueat, quem asina adstans devoret. Unus ille ex iis est, quos Polygnotus in tabula Delphis posita poenas apud inferos solventes pinxit.[80] Quo modo autem poeta hunc Ocnum cum belli inventore confert? Inventor belli, ut Arethusa ipsa experta est, continuum laborum ordinem[81] struxit hominibus, quam ob rem poena simili atque Ocnus eaque infinita afficiendus est. — „Obliquus“ dicitur, quia labori intentus pronus sedet.[82] E verbo „obliquus“ et eo, quod Propertius Arethusam asinam alloquentem facit (tuam famem, aselle), legentibus picturam, in qua Ocni fabula depicta erat, notissimam fuisse poetamque huiusmodi tabulae eos admonere voluisse concludo. Quod si ita est, Romae sive illius Polygnoti tabulae exemplaria sive aliorum artificum, qui ipsi quoque praeter Polygnotum Ocni fabulam depinxerunt, picturas fuisse nobis arbitrari licet.[83]

12., 13. disticha:

Belli eiusque molestiarum cogitatione Arethusa anxia sollicitaque eo inducitur, ut virum amatum nunc illis laboribus pressum ante oculos sibi ponat. Optime atque artificiose poeta hanc puellae amantis curam in interrogationem imperativo „dic mihi“ praeposito redegit.

Vocabulo „dum“ codicibus NFLD tradito „num“ lectionem codicis V 2 praefero, primum quod amantis puellae orationem verbo „dum“ flacescere arbitror, deinde quod anaphora (num . . . num) poetae saepissime, ut dictionem carminum vividam redderent, utebantur.

Genus poesis amatoriae postulat, ut Lycotas non ut miles castris belloque assuetus, qualem eum fuisse e prioribus eius militiis conclu-

---

[80] cf. Paus. X 29, 1: *Μετὰ δὲ αὐτοὺς ἀνήρ ἐστι καθήμενος, ἐπίγραμμα δὲ Ὄκνον εἶναι λέγει τὸν ἄνθρωπον· πεποίηται μὲν πλέκων σχοινίον, παρέστηκε δὲ θήλεια ὄνος ὑπεσθίουσα τὸ πεπλεγμένον ἀεὶ τοῦ σχοινίου. τοῦτον εἶναι τὸν Ὄκνον φιλεργόν φασιν ἄνθρωπον, γυναῖκα δὲ ἔχειν δαπανηράν· καὶ ὁπόσα συλλέξαιτο ἐργαζόμενος, οὐ πολὺ ἂν ὕστερον ὑπὸ ἐκείνης ἀνήλωτο.*

[81] cf. Prop. III 5, 12 „armis nectimus arma nova“.

[82] cf. Juv. 9. 145 „curvus caelator“ et Luc. somn. 13 *κάτω νενευκὼς ἐς τὸ ἔργον.*

[83] Velut Nicophanis, Pausiae scholae Sicyonicae principis discipuli (ca. a. 370. a. Chr. n.) (v. Plin. N. H. 35, 137 „sunt quibus et Nicophanes eiusdem Pausiae discipulus placeat . . . tales sunt eius cum Aesculapio filiae Hygia, Aegle, . . . et piger, qui appellatur Ocnos, spartum torquens, quod asellus adrodit“ et Brunn, Gesch. der griech. Künstler II p. 155). Praeterea nonnullae tabulae nominibus auctorum non servatis extant, ex quibus una est in aedibus Vaticanis (v. Baumeister, Denkmäler des klass. Altert. III p. 1925 fig. 2041 et Helbig, Führer durch die öffentl. Sammlungen klass. Altertümer in Rom, 1891, I p. 278 sq.), alia in Museo Laterano (v. Monum. Inediti 8 [1864—1868] XXVIII 1). Alias tabulas J. G. Frazer: Pausanias's description of Greece V p. 376 sq. affert.

damus, sed ut iuvenis tener, cui lorica hastaque graviores sunt, describatur. — „Urere“ hoc loco de dolore premendo effecto [84] dicitur. Quoniam vero de corporis locis lorica hastaque pressis est recordata, Arethusae mens ad „notas amoris“ convertitur. Uxoris enim invidia cura de mariti corporis salute statim reprimitur. Virum belli molestiis laborare quam fidem violare mavult.

Pronomen „haec“, quod ad duas curas, quas Arethusa modo expressit, refertur, codicibus traditum bene dicitur atque Fonteinii „sed“ vel „at“ prorsus supervacaneum atque peius est.

Illud „notas dare“ vel „notas facere“ vel „notare“ in sermone amatorio usitatissimum est. Nota est aliquando pretium, quo gaudia amatoria, sicut merces quaedam, emuntur, atque pertinet ad morsus collo illatos ab amantibus voluptate furentibus. [85] „nota“ saepe quoque de vulneribus, quae amantes irati in ora invicem inferunt, dicitur. [86] Hoc autem loco „nota“ significat quod supra priore loco commemoravi. Nam huiusmodi notae Arethusae odio atque dolori sunt. -- „Per tua colla“ idem est ac si dicat „toto passim collo“. [87] — „Mihi“ cum „plorandas“ coniungendum esse manifestum est.

14. distichon:

Hoc in disticho illud observandum esse mihi videtur, quod homo ipse in corporis affectionibus agens putatur. [88]

Cum ceteris codicibus „vultum“ traditum sit, V 2 „collum“ exhibet. Ego „vultum“ scribo. Nam primum cum in compluribus codicibus tum in Neapolitano scriptum est. Deinde „collum“ minime poeticum neque pulchrum esse mihi quidem videtur atque de „colore (v. 28) colli“ dicere ridiculum est. Denique cum versu 26 quoque de collo agatur atque verbum „collum“ ipsum dicatur, Arethusam „vultum“ potius quam „collum“ tenuari scripsisse verisimile est. Corruptelam „collum“ eo, quod scriba V 2 vocabuli „colla“ versus 26 meminerat, ortam esse explicari potest.

Quamquam coloris pallidi antea mentio facta non est, tamen „color iste“ non praeter exspectationem dicitur, quoniam pallor maciem

[84] cf. Hor. epist. I 10, 42 „ut calceus olim, si pede maior erit, subvertet, si minor, uret“ et Hor. epist. I 13, 6 „si te forte meae gravis uret sarcina chartae“.

[85] cf. Tib. I 8, 38 „et in collo figere dente notas“, Ov. am. I 8, 98 „factaque lascivis livida colla notis“, Ov. am. III 14, 34 „collaque conspicio dentis habere notam“.

[86] cf. Prop. III 8, 6 „et mea formosis unguibus ora nota“ et Prop. IV 8, 65 „imponitque notam collo morsuque cruentat“.

[87] cf. IV 5, 39 „semper habe morsus circa tua colla recentes“.

[88] Simili modo atque in lingua Graeca: *φύειν ὀδόντας, φύειν φρένας*, cf. Soph. Oed. Col. 804 *οὐδὲ τῷ χρόνῳ φύσας φανεῖ φρένας ποτ᾽* . . .

sequi solet. — „E desiderio meo" idem est ac „meam desiderans consuetudinem". [89]

„et", quod F 2 solus exhibet, sine dubio corruptum est.

15. distichon:

Particula adversativa „at" aliam carminis partem incipere significat. A versu enim 29 usque ad versum 62 Arethusa suam ipsius vitam tristem desertamque describit, qua ex parte rursus atque iterum eius de coniugis salute cura elucet. Primum noctes amaras, quas sola degere coacta est, queritur. Vocabulum „amarus" de noctibus infelicibus dictum in sermone amatorio saepissime invenitur. [90] — Vesper, Veneris stella, noctem ut aurora diem fert. [91]

In versu 29 optimis codicibus „induxit" traditum est, quae lectio mihi quidem melior quam „inducit" esse videtur. Nam Arethusa, cum nox orta est, non cum appropinquat, arma osculatur.

16. distichon:

Noctu prae tristitia Arethusa dormire non potest. In lecto huc et illuc se iactat et stragulis onerata oppressaque esse sibi videtur. Similiter Ovidius am. I 2, 1 scribit:

esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur
strata, neque in lecto pallia nostra sedent,

Iuv. 6. 235 „onerosaque pallia iactat".

Dido quoque cupiditate atque amore inflammata somnum capere non potest; cf. Verg. Aen. IV 80 sqq.:

post ubi digressi . . . . .
sola domo maeret vacua stratisque relictis
incubat.

Haec animi sollicitudo atque nocturna inquies amoris infelicis nota est atque in litteris amatoriis aetatis Alexandrinae saepe invenitur. [92] — Arethusa noctis horas quasi numerat. Aurora vero tardius atque sero venit. Vehementer avideque galli cantum atque voces avium, qui diem indicent, exspectat. [93]

17. distichon:

Iam vero Arethusa profert, quo labore, cum horae tarde abeant, se ipsa vexet atque animum suum a rerum acerbarum cogitatione avocet. Viro sagum texit et e corio secto cingula gladiorum suit

---

[89] cf. Prop. I 8, 1 „mea cura".

[90] velut Prop. I 1, 33 „in me nostra Venus noctes exercet amaras", II 17, 3 „quotiens desertus amaras explevi noctes", Tib. II 4, 11 „nunc et amara dies et noctis amarior umbra est."

[91] cf. Verg. Georg. IV 552 „post ubi nona suos Aurora induxerat ortus".

[92] cf. Heinze, Vergils Epische Technik p. 130.

[93] cf. Ov. am. II 6, 34 „pluviae graculus auctor aquae".

Nam pro „suos“ „suo“ cum Rossbergio [94] scribo, qui versum 34 hoc modo vertit: „und ich nähe purpurne Lederstreifen für die Schwerter, d. h. zu Schwertgurten.“ In priore enim versu Arethusa de texendo iam dixit, ut, si „suos“ scriberemus, eadem res bis expressa esset. Praeterea „gladius“, quod vertunt „Faden des Aufzuges“, exemplis omnino caret. — „Vellera secta“ sunt pelles bestiarum in fasciarum formam discissae. [95] Balteos sutiles e corio factos fuisse ex his locis discimus:

1) Verg. Aen. XII 273

qua sutilis . . balteus . . mordet,

2) Prop. IV 10, 22

praebebant caesi baltea lenta boves,

3) Varro L. L. V 116 in vocabuli „balteum“ etymologia explicanda haec dicit: „balteum: quod cingulum e corio bullatum, balteum dictum.“ — E verbo „Tyria“ apposito vellus muricis Tyrii suco [96] tinctum esse elucet. Quod ea de causa factum esse puto, ut cinguli color sagi imperatoris eiusque legatorum tribunorumque, [97] quorum in numero Lycotam fuisse putare nobis licet, colori par esset. — „Noctibus hibernis“ hic longas hiemis vesperas significat, cum „noctes amaras“ in versu 29 de noctibus ipsis, quibus gaudia amatoria percipiuntur, dictum est. — „Pensum“ proprie lana est, quae ancillis cottidie appendebatur. „Castrensia pensa“ eam lanam significant, qua Lycotae in castris versanti sagum texitur.

18., 19., 20. d i s t i c h a:

Alio quoque labore Arethusa longas noctes hibernas explet. Nam cum virum militantem comitari non possit, diligentissime libris adhibitis terras remotas, in quibus eum esse putat, percontatur et in tabula perlustrat, ut hoc quidem modo cum coniuge amato coniuncta sit. Nominibus „Araxes“ (flumen Armeniae), „Parthus equus“, „ascensis Bactris“ (v. 63), „Scythiae iuga“ (montes Asiae, v. 47) Lycotam in oriente esse poeta ita indicat, ut res geographicas non accurate describat, sed ut remotarum terrarum vastitatem asperitatemque et populos illos feros nobis ante oculos ponat, qua re Arethusae condicio iniqua miseraque etiam magis perspicue exponatur. E vocabulo „vincendus“ nomini „Araxes“ apposito illud flumen perniciosum indomitumque esse elucet, ut Vergilius VIII 728 in scuto describendo eum dicit pontem

---

[94] Lucubrat. Prop. p. 27.

[95] cf. Ov. met. XI 3 sq. „ferina vellera“, ubi vellus de corio villoque dictum est.

[96] cf. Hor. epod. 12, 21 „muricibus Tyriis iteratae vellera lanae cui properabantur?“

[97] cf. Hor. epod. 9, 27 „terra marique victus hostis (Antonius) Punico lugubre mutavit sagum.“

indignatum Araxem. — Illius equorum Parthorum tanta et vasta spatia patienter emetiendi facultatis [98] mentione facta simili modo atque vocabulo „vincendus“ illius expeditionis, cui Lycotas interest, difficultatis et periculorum nos admonet poeta.

„quod“ codice N traditum est, sed sensu caret. Librarius codicis N 1 „quod“ corruptum esse cum intellexisset, „qua“ scripsit. Sed cum tres litterae q, u, o Neapolitano et ceteris codicibus, qui „quot“ exhibent, communes sint, illud „qua“, praesertim cum bonum sensum non praebeat, non rectum esse puto. „quot“, quo vocabulo optime pericula, quae Lycotae imminent, exprimantur, scribendum videtur.

De verbo „cogor“ haec dicam: quamquam in omnibus codicibus „cogor“ scriptum videmus, tamen Broukhousius lectionem „conor“ praetulit, quia Arethusam, quae sit puella indocta (!) et artis geographicae imperita, „conor“, non „cogor“ dicere posse putat. Quam coniecturam ab Hertzbergio et Baehrensio probatam non necessariam esse puto atque „cogor“ maiorem vim habere et optime Arethusae desiderium animo maritum sequendi exprimere existimo.

Plurali illo numero „pictos mundos“, quas super terras vastas in tabula pictas Arethusae oculi vagentur, illustratur. — Vocabulum „tabula“ iam apud Romanos id, quod ipsi „Erdkarte“ appellamus, significavisse locus Ciceronianus ad Att. 6, 2, 3 „. . tabulis credidi“ testatur.

Quod ad versum 38 attinet, in omnibus codicibus „qualis et haec docti sit positura dei“ scriptum videmus. Quam lectionem, quae haud facile intellegatur, multi viri docti corruptam esse putaverunt. Omnes coniecturae, quia a litteris traditis nimis discrepant una Ellisii (pro „haec docti . . . dei“ „educti . . . Dai“) excepta repudiandae mihi videntur esse. Neque Ellisii coniecturam probo, quod vocabulum „educti“ mihi displicet. Tradita verba „haec docti . . . dei“ servanda sunt, praesertim cum vocabulum „docti“ ante caesuram positum ultimo verbo „dei“ allitteratione respondeat, quam rationem apud Propertium usitatissimam esse Meusel in dissertatione [99] demonstrat Sed quo modo hanc lectionem interpretamur?

Illum doctum deum non, ut Rothsteinius opinatur, mundi procreatorem esse arbitror. Nam illud „haec positura docti dei“ de telluris situ a deo instituto intellegi vix potest. Immo illum „deum“ Apollinem esse e verbo „doctus“ apposito concludo. Nam Apollo, ut est deus artium multarum: poeticae musicaeque, divinandi medendique, ita ut Musae apud doctos poetas doctae sorores [100] appellantur, doctus

[98] cf. Victor Hehn, Kulturpflanzen u. Haustiere p. 34 sq. et Iustin. XLI 3, 4 „equis omni tempore vectantur“ (Parthi).
[99] Curae Propertianae, Lipsiae 1902 p. 67 sqq.
[100] cf. Ps. Tib. III 4, 45.

facile nominari poterat. Idem solis deus est atque saepe pro sole appellatur.[101] Antiquissimis quidem temporibus hanc significationem nomen Apollinis nondum habuit. Neque enim apud Homerum neque nonnullis saeculis post eius usus vestigia invenimus. Immo illis temporibus Apollo a solis deo, qui Ἥλιος nominabatur, distinguebatur. Quinto demum a. Chr. n. saeculo vestigium, quo Apollinem et Solem eundem esse apparet, invenimus: Eurip. Phaeth. N.² frg. 781, 11 sqq.:

ὦ καλλιφεγγὲς Ἥλι', ὥς μ' ἀπώλεσας
καὶ τόνδ'. Ἀπόλλων δ' ἐν βροτοῖς ὀρθῶς καλῇ,
ὅστις τὰ σιγῶντ' ὀνόματ' οἶδε δαιμόνων.

Haec opinio a stoicis recepta[102] imperatorum aetate pervagata erat.[103] — „Positura docti dei" ergo idem est ac „solis situs". Vocabulum „positura" de caeli signis dictum etiamsi non saepe invenitur, tamen non insolitum est.[104]

Broukhousius versus 37 et 38 ante 35 et 36 scribendos proponit, quam transmutationem arbitrariam esse censeo. Nam, ubi Araxes flumen fluat atque quot milia Parthus equus sine aqua currat, Arethusa auditu comperta habere potest, sed accuratiorem notitiam flagitans tabulas geographicas consulit.

Versum 39 sic intellegendum esse puto: solum frigoribus durescit, ut rastrum non nisi vix ac lente penetret. — Illud „ab" ante „aestu" positum causam, cur terra putris sit, indicat.[105] Hic usus praepositionis „ab" e sermone cottidiano ortus apud Ciceronem Caesaremque non invenitur, tamen et in oratione vincta et in oratione soluta posteriore et apud Livium haud insolitus est.[106]

21. distichon:

Cum sorore et praecipue cum nutrice Arethusa de coniuge absente loquitur. Nutricis consciae persona poesis amatoriae propria est, quae dominae semper adest atque amori eius favet.[107] De nutricis personae origine Heinze p. 127 haec dicit: „Die ‚Vertraute' ist eine Schöpfung

[101] cf. Ps. Tib. III 6, 8 et schol. Stat. Theb. I 699 „Apollinem . . . . . imberbem dixerant, quoniam ipse sol est. Sol autem ignis est."

[102] v. Preller-Robert, Griech. Mythol. I 230 sq.

[103] cf. Dio Chrys. I 222 (de Arnim) *καίτοι τὸν μὲν Ἀπόλλω καὶ τὸν Ἥλιον καὶ τὸν Διόνυσον ἔνιοί φασιν εἶναι τὸν αὐτόν* et Macr. saturn. I 17, 1 „Hoc equidem mecum multum ac frequenter agitavi, quid sit quod solem modo Apollinem . . . veneremur."

[104] cf. Gell. N. A. 2, 21, 9 „itaque hoc sidus, quod a figura posituraque ipsa, quia simile plaustri videtur, antiqui Graecorum *ἅμαξαν* dixerunt."

[105] cf. Prop. I 16, 14 „a longis excubiis", II 27, 11 „a qua morte", Ov. Trist. IV 3, 36 „a nostris malis".

[106] cf. Kühner, Lat. Gram. II 1 p. 495 sq. et Uhlmann, De Prop. genere dicendi. Diss. Monast. 1909, p. 45.

[107] Exempla Heinze, Vergils Epische Technik, p. 127 in adnot. 2 affert.

dramatischer Technik, von der klassizistischen Tragödie als stehende Figur aus der antiken (Medea, Phaidra usw.) entnommen: sie dient dazu, daß der Zuhörer Dinge erfahre, die von den handelnden Personen nur die eine weiß und wissen darf; ihr verschwiegenes Seelenleben kann so der Dichter vor dem Zuschauer ausbreiten, Bedenken entwickeln und zerstreuen, ohne fortwährend auf das Auskunftsmittel des Monologs zu rekurrieren.“ [108] — Quod et soror et nutrix a Propertio inducuntur novum neque feliciter inventum mihi videtur. — De „pallida“ et „peierat“ haec addiderim:

Vocabulum „pallida“, quamquam traditum, Heinsius in „callida“ mutat. Sed „pallida“ mihi gravitatem rerum respicienti melius quam „callida“ quadrare videtur. Nam nutrix ipsa quoque curis vexata, cum saluti Lycotae timeat, pallida est. — „peierat“, quod Livineius iniuria in „deierat“ mutavit, optime mihi dictum esse videtur. Nam nutrix, ut e verbis „curis pallida“ ipsis elucet, Lycotam ab hostibus interfectum rediturum non esse in animo pro certo habet. Tamen ut dulcem alumnam consoletur, Lycotam hiberna tempestate retineri confirmat itaque peierat. [109]

22., 23., 24., 25. disticha:

Arethusam, cum Lycotae amati viri, sine quo vita tristis est, saluti consulat, ut cum eo ad bellum proficiscatur, fieri posse cupere consentaneum est. Cuius desiderii causa in versibus 51 sq. accuratius profertur, ubi eo, quod optat, satis exposito (43—50) ad suae ipsius vitae tristis desertaeque descriptionem in versu 29 inchoatam revertitur. Arethusa Hippolytam, quae est Amazonum regina, felicem dicit, quod iuxta Theseum maritum pugnare potuit. — Ad illud „nuda papilla“ explicandum haec dixerim: Amazones et ab inferioris aetatis artificibus [110] et a Romanorum poetis pectoris parte nudatae fictae sunt. [111] — Illa vocabula „galea“, „barbara“ Propertius, ut est carminum amatoriorum poeta, verbis „molle caput“ consulto opposuit. — „Patuissent“ v. 45 de illo tempore praeterito, quo Lycotas ad bellum profectus est, dictum est. — Arethusa, ut est puella fida et amans, ne Scythiae quidem montium in Asia remotissima sitorum iugis perenni nive obrutis se deterreri posse dicit. Antiquos homines cum terra Scythica gelidum frigus animo coniungere solitos esse hi loci

[108] cf. quoque H. Albers, Die Vertrautenrolle in der griech. Trag., Diss. Giss. 1911.

[109] Non probo interpretationem Lachmanni, qui nutricem Lycotae perfidia cognita peierare putat, quam opinionem huius elegiae argumento non convenientem repudio.

[110] v. Baumeister I p. 63.

[111] cf. Stat. Theb. XII 537, ubi vituperantur, quod nunc „pectora palla tota latent“.

testantur: Lucan. I 47 „qua bruma rigens . . . astringit Scythico glacialem frigore pontum". Horatius Scythen ipsum dicit gelidum: carm. IV 5, 25 „quis gelidum Scythen" (paveat).

In hoc disticho consensu codicum „altas" traditum est atque bene cum „aquas" coniungi potest. „Atlas" ingeniosa quidem, sed minime necessaria Itali cuiusdam coniectura est, quam haud scio an corrupto vocabulo „Affricus" sequenti commotus scripserit. — Hoc loco sine dubio de deo, qui auctor tempestatum est, agitur. Deus autem, qui calores fulguraque, nives atque frigora mittit, Juppiter est, unde cognomina: Juppiter Caelestis,[112] Juppiter Imbricitor,[113] Juppiter Pluvialis,[114] Juppiter Tempestas[115] orta sunt. Sed cognomen „Africus" nunquam ei datum est. Itaque „Affricus", quod vocabulum codicibus NFL traditum est, quin corruptela ortum sit, non dubito. Vocabula ab aliis viris doctis proposita: aeris, Aeolus, Arctoo repudio, cum longius a lectione codicum discrepare mihi videantur. Postgatii coniectura „acrius" atque praecipue Rothsteinii „astricto", cui loci Ovidiani: Trist. II 196 „et maris astricto quae coit unda gelu" et Trist. III 4, 48 „astricto terra perusta gelu" simillimi sunt, mihi maxime placet. Quod ad illud „astricto frigore" attinet, similem quoque constructionem in Verg. Aen. VI 742 invenimus, ubi „infectum scelus" scelus significat, quo infecti sunt.[116]

In versu 49 Propertium „aperto" scripsisse censeo, quod omnibus codicibus traditum est. Hoc ergo versu amor furtivus atque legitimus comparantur. Lachmanni coniecturam „aperte", quam — iniuria, si quid sapio[117] — „apertum coniugem" dici posse negans proposuit, repudiandam esse puto, praesertim cum sententiae perspicuitas ea minuatur. Schippersii emendatio „rapto" melius quidem Arethusae animo convenit, sed, quod longius a lectione codicum discrepat neque ad sequentem versum quadrat, probanda non est.

„Vivere" de flamma dictum idem est atque „ardere", „lucere".[118]

26., 27. disticha:

Distichis 26 sqq. Arethusa causam, cur se cum marito ad bellum proficisci posse cupiat (v. 43—48), affert et vocabulo „nam" superioribus versibus 43—48 adnectit.

Quamquam igitur „nam" cum priore disticho non coniungendum est, tamen lacunam a Luetjohanno indicatam arbitrariam atque minime

[112] C. I. L. III 1948.
[113] Apul. de mundo 37.
[114] C. I. L. IX 324.
[115] C. I. L. VIII 2609.
[116] Exempla confert W. Klouček in Symbolis Pragensibus 1893, 75.
[117] cf. Cic. de domo sua 29 „apertis inimicis".
[118] cf. IV 11, 54 „vivos focos" et Ov. Fast. IV 553 „vivente favilla".

necessariam esse arbitror, quoniam poetae inter duas partes continentes generalem sententiam philosophicam interponere licet. De versuum 51/52 lectione haec addiderim: „te", lectio optimi quidem codicis, sensum non praebet. Ceteri codices „tibi" exhibent, quae lectio optime quadrat. „tibi" a librariis saepe in t^i contractum est.[119] Scriptor Neapolitani errore seductus ex t^i te fecit. Heinsii coniecturam „si", etiamsi bona est, non probo, quia a communi lectione te t^i pro littera t s scripta nimis differt. Vocabula ter et tua a Palmero et Leone proposita repudio. Interpretor hoc modo: ad verba „nam mihi quo" „ire licet" (non „quid mihi expedit?") animo addendum est. Marito soli Arethusa se ornat.

Illud „tibi purpura fulgeat . . ." non, ut Rothsteinius arbitratur, Arethusam mariti reditum exspectantem tunc re vera se ornare significat, sed coniunctivis „fulgeat" et „ornet" quodammodo uxoris desiderium mariti reditus expressum est (= Möge doch endlich die Zeit kommen, wo ich mich wieder wie früher dir zu Gefallen schmücken kann"). Arethusam igitur omnem cultum et quibuscumque antea rebus secundis assueta erat (v. distichon sequens), tunc, cum vir absit, neglegere videmus. Cuiusmodi neglegentiam infelicis amoris indiciorum esse ex aetatis diadochorum poesi amatoria nobis luculenter notum est.[120]

In versu 52, etiamsi „tuas manus" = „meas tibi deditas" exemplis non caret (cf. Iuv. Sat. VI 124 „ostenditque [Messalina] tuum, generose Britannice, ventrem"), tamen „meas", quae est lectio optimi codicis N, praefero. Nam non modo non ambigua, sed etiam maxime perspicua est.[121] „meas" eo quoque commendatur, quod huius vocabuli primae litterae „m" ultimi verbi „manus" prima littera respondet. Quam allitterationis rationem Propertium in deliciis habuisse Meusel, ut iam supra commemoravi, demonstrat.

De „crystallus aquosa" haec dicere licet: duas res crystallinas feminae Romanae in deliciis habebant: 1) pilas quasdam crystallinas vel sucineas,[122] quas aestate refrigerandi causa manibus tenebant.[123] 2) Hoc autem loco illum crystallum nihil aliud nisi lapidem anulo impositum[124] esse posse e vocabulo „ornet" elucet. — Vocabulo „aquosa" poeta aut crystallum item atque aquam perlucidum esse indicat aut illam veterum opinionem designat, quam Seneca Q. N. III

---

[119] v. Lachmanni ed. Prop. p. 355.

[120] cf. Heinze, Vergils Epische Technik p. 130 de Didone omnia contemnente; v. Aen. IV 86—90. Alia exempla Heinze p. 130, adnot. 6 affert.

[121] Broukhousii coniecturam „suas" malam atque arbitrariam esse censeo.

[122] cf. Plin. N. H. 37, 30 „proximum post crystallum locum in deliciis feminarum adhuc tantum sucina obtinent."

[123] cf. Mart. XI 8, 6 „sucina virginea quod regelata manu" et Prop. II 24, 12 „et manibus dura frigus habere pila".

[124] v. Blümner, Technologie III p. 250.

25, 12 exposuit: „κρύσταλλον appellant (Graeci) aeque hunc perlucidum lapidem quam illam glaciem, ex qua fieri lapis creditur. Aqua enim caelestis minimum in se terreni habens cum induruit, longioris frigoris pertinacia spissatur magis ac magis, donec omni aere excluso in se tota compressa est et, umor qui fuerat, lapis effectus est."

Proximo disticho, quid Arethusa praeter cultum neglegat, audimus. Larum — „laros" corruptela codicis N est — aedicula clausa [125] iam vix kalendis magnis intervallis interpositis ab una ancilla, quae a domina hoc facere iussa est, aperitur, cum, ut ter mense laribus sacrificaretur, mos esset, [126] quibus sacrificiis tota familia intererat. Et domina ergo et familia domino absente desolatae afflictaeque sunt. Sollicito timore perculsa tota domus tacet („omnia surda tacent"). Optime hoc loco poeta verba elegit: „assueta" maritum tam diu abesse, ut sola ancilla sacrificandi munere iam assuefacta sit, significat. — Illo „raris kalendis" [127] Propertius ut ii, qui hoc legunt, sentiant, quam tarde Arethusae horae, dies, menses abeant, spectat.

Optimus codex N et F 2 „rarisque" exhibent, quae lectio servanda est. Nam „que" in codicibus saepe lineamento notabatur, quod librarii facile omittere poterant. Praeterea „que" mea quidem sententia partes melius conectit.

28. d i s t i c h o n:

In hoc magno silentio Arethusae omnis sonus, quin etiam catulae latratus gratus est. De nomine „Glaucidos" hoc dixerim:

Lectiones codicum NL (Graucidos) ceterorumque (Grancidos et Craucidos) unius verbi variationes esse putare nobis licet. Nam et litterae u—n et G—C facile commutari possunt. Itaque lectio codicis N sola nobis spectanda est, quam corruptam esse ex eo, quod Graucidos exemplo caret, suspicor. Buechelerus [128] Xenoph. Cyn. 7, 5, ubi canis κραυγή nominatur, comparato „Craugidos" scribendum proponit. Quam coniecturam non probo, quia a litteris mea quidem sententia aperte traditis: Graucidos duabus litteris G et c commutatis paulo longius discrepat. Puccii autem „Glaucidos" mihi valde placet. Nam littera r sola mutanda est. Hoc nomen „Glaucis" aut colorem pellis [129] aut

---

[125] cf. Petr. 29 „praeterea grande armarium in angulo vidi, in cuius aedicula erant Lares argentei positi" et Hug P. W. XII 794 sq.

[126] cf. Cato de agric. 143, 2 „kalendis, idibus, nonis . . . coronam in focum indat, per eosdemque dies Lari familiari pro copia supplicet."

[127] cf. Mart. IV 66, 3 „raris kalendis".

[128] Rh. Mus. 43, 296 (= Kl. Schriften III, 1930, 154).

[129] cf. Verg. Georg. III 82 „(equi) spadices glaucique". Ovidius met. III 206 sqq. Alcmaeonis canes secundum pellis colorem nominatos enumerat: „Sticte *(στικτός)*, Tigris, Leucon *(λευκός)*, Asbolos *(ἄσβολος* = Ruß), Melaneus *(μέλας)*.

ardorem oculorum [130] significat aut, quod mihi verisimilius videtur, a verbo: glaucito vel glattito, quae est vox naturalis catulorum, ductum est. [131]

„Querentis“ optime dictum est, quasi ipsa catula domino absente doleat et maereat.

In versu 56 librarius codicis V 2 „tori“, ut versus facilius intellegi possit, scripsisse videtur. Sed „toro“ cum traditum sit, servamus. Interpretor hoc modo: „toro“ locativus est. Catula in toro iuxta Arethusam iacens partem tantum, non totum munus locumque absentis coniugis explet.

29. distichon:

Distichon 29 versibus 53/54 oppositum esse [132] videtur, quare Burmannus, ut hoc distichon post versum 60 poneret, adductus est. Equidem rem ita explico: distichon 27 de sacrificiis sollemnibus, quibus tota familia interest, Laribus certis mensis diebus factis est. Huiusmodi quidem sacrificia Arethusa neglegit, sed in solitudine secum vivens, cum timore de coniugis salute vel malorum praesagio quodam monetur, sola dis domesticis et compitalibus, [133] ut Lycotae suo faveant, sacrificat. Haec igitur sacra non certis, sed quibuslibet diebus fiunt, id quod v. 61 vocabulis „illa dies“ indicatur. — „verbena“ est secundum Servium ad Verg. Aen. XII 120 „proprie herba sacra, sumpta de loco sacro Capitolii . . . abusive tamen iam verbenas vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva vel myrtus“. Verbenis aras Romani ornabant. [134] — „Herba Sabina“ a veteribus pro ture pretioso saepe comburebatur [135] atque melius simplicibus sacrificiis, quae Arethusa sola facit, accommodata est. — Focus ea de causa vetus appellatur, quod iam maiores antiquitus in eo sacrificaverunt. — Etiamsi herba igne crepans omen faustum putabatur, [136] hoc tamen loco verbo „crepat“ poetam non huius opinionis, quam et propter versuum sententias et duo sequentia disticha hic ineptam esse iudico, admonere, sed nihil aliud nisi Arethusam herbas comburere significare voluisse puto.

---

[130] cf. Plin. N. H. VIII 21, 30 „oculis glaucis“.

[131] cf. Riese, A. L. 762, 59/60 „rite canes latrant, fallax vulpecula gannit, glaucitat et catulus ac lepores vagiunt“ et Suet. p. 250 (Reiffersch.) „catulorum glattire“.

[132] cf. Rothstein.

[133] quorum sacra in compitis sunt; cf. Varr. l. lat. VI 25 „ubi via competit, tum in competis sacrificatur.“

[134] cf. Hor. carm. IV 11, 6 „ara castis vincta verbenis“ et Ov. met. VII 242 „has (aras) ubi verbenis silvaque incinxit agresti“.

[135] cf. Cul. 404 „herbaque turis opes priscis imitata Sabina“ et Ov. Fast. I 343 „ara dabat fumos herbis contenta Sabinis“ et Plin. N. H. 24, 102 „herba Sabina a multis in suffitus pro ture assumitur.“

[136] cf. Tib. II 5, 81 „ut succensa sacris crepitet bene laurea flammis, omine quo felix et sacer annus erit“.

30., 31. disticha:

Si quid omen, sive malum sive faustum, Arethusae oblatum est, statim deos, ut aut malum avertant aut bonum efficiant, sacrificiis implorat. Omen infaustum veteres noctuae vel bubonis vocem esse arbitrabantur.[137] Cantus horum avium gemitus et letale carmen erat.[138]

„genuit", quam lectionem F1 L exhibent, levis corruptela atque absurda est. Una tantum hasta omissa est.

In vocabulo „tigno" equidem non offendo, praesertim cum omnibus codicibus traditum sit. „tignum" et trabem et, quibuscumque rebus ad domum aedificandam opus est, significat. Qua de causa non est, quod cum Burmanno „tigno" in „tecto" mutemus. Noctua in tigno occulta, non in summo tecto vicini sedet.

„finitimo", quia optimis codicibus traditum est atque bonum sensum praebet, sine dubio servandum, „furtivo" aut consilio aut errore a librario scriptum est. Eum errore seductum „furtivo" scripsisse verisimillimum est. Nam quod ad artem palaeographicam attinet, „furtivo" et „finitimo" non multum inter se differunt.

Omen felix lucernae flamma crepitans erat atque hominem aliquem adventurum esse indicare putabatur.[139] Flammae crepitanti aliquid vini infundebatur.[140] De vocabulis „tangi" et „ parca" haec dicam:

Italorum emendatio „tingi" magis perspicua suetaque est, sed mihi quidem omnino non necessaria videtur. Nam „tangere aliquid" compluribus locis eundem sensum quem „tingere aliquid" habet.[141] Cur Propertio rariore vocabulo uti non licuerit, non intellego, praesertim cum „tangi" in codicibus scriptum videamus.

---

[137] cf. Plin. N. H. 10, 34 „bubo funebris noctis monstrum, nec cantu aliquo vocalis sed gemitu."

[138] cf. Verg. Aen. IV 462
solaque culminibus ferali carmine bubo
saepe queri et longas in fletum ducere voces;
v. Serv. adnot. ad hos versus; cf. quoque Riess P. W. I 70 et M. Wellmann VI 1065.

[139] cf. Anthol. Pal. VI 333
ἤδη, φίλτατε λύχνε, τρὶς ἔπταρες· ἦ τάχα τέρπνην
εἰς θαλάμους ἥξειν Ἀντιγόνην προλέγεις.

[140] cf. Ov. Her. 18, 151
sternuit et lumen, posito nam scribimus illo,
sternuit et nobis prospera signa dedit.
ecce, merum nutrix faustos instillat in ignes,
crasque erimus plures, inquit.

[141] cf. Ov. Fast. 4, 790 „sparsa tangere corpus aqua" et Mart. 6, 74, 2
medio recumbit imus ille qui lecto,
calvam trifilem semitactus unguento.

„pauca“, quod vocabulum codice F2 solo traditur, non probo, quia sine sensu est atque optimi codices „parca“ exhibent. ;„parca“ pulcherrime dicitur. Nam cum Arethusa ad mediam noctem cum nutrice de absente marito locuta sit, lucerna paene exusta parca est.

Illud „illa dies denuntiat“ Arethusam prima eius diei luce, qui illam noctem, qua omina animadvertit, subsequitur, sine mora deos sacrificiis implorare indicat.

Vocabulum „anguis“ in codice F 2 scriptum certe corruptela ortum est. Nam intellegi omnino non potest. — „ornis“, quam lectionem NFL exhibent, sine dubio recta est. Primum quod ad litteras attinet, h saepe omittebatur, etiamsi secundum verbi originem dicenda scribendaque erat. Deinde „hornis agnis“ optime intellegitur, nam a Romanis imprimis annicula animalia sacrificabantur.

„Calent ad nova lucra“ hoc significat: popae cum novum lucrum exspectent, studiosissime sacrificia curant. Popae ab hominibus antiquis avari atque edaces haberi mihi videntur.[142]

„succinctaeque“ omnibus codicibus traditum cum „popae“ coniungendum esse apertum est. „popa“ autem, qui omnia, quae ad sacrum faciendum necessaria sunt, curat, semper non femina, sed vir est. Coniectura Italorum „succincti“ igitur recta est. Scriptor archetypi mea sententia ultima vocabuli „popae“ syllaba, ut succinctae scriberet, commotus est. Nonnulla exempla afferam, e quibus popas succinctos et semper viros fuisse elucet: Ov. Fast. I 319 „succinctus minister“, Ov. Fast. IV 413 „a bove succincti cultros removete ministri“, Suet. Calig. 32 „. . succinctus poparum habitu . .“, Cic. pro Milone 24 „quin etiam fuerit audiendus popa Licinius . . .“.

32., 33. disticha:

Arethusa postquam versu 62 vitae tristis atque desertae describendae finem fecit, versibus 63—72 id, quod tota epistula efficere voluit, comprehendit atque Lycotam, ut 1) vitae suae parcat (63—66) atque 2) fidus ad se revertatur, obsecrat.

In versu 63 „ne“, praesertim cum traditum sit, servamus. „nec“, lectionem codicis L, deteriorem esse puto. Nam „nec“ duas sententias inter se quodammodo coniungit. Equidem hanc ultimam partem, quae a versu 63 incipit atque finis elegiae est, cum priore nulla ratione cohaerere censeo.

Ad verbum „tanti“ animo „ut pericula nimia subeas“ addendum est. — „Gloria ascensis Bactris“ declarat laudem ascensis moenibus aut montibus Bactrorum partam („accensis“ certe levis corruptela codicum deteriorum est). — Praeter gloriam Arethusa praedam commemorat, cuius causa ne nimis audax sit, Lycotam admonet. Quae

[142] cf. Pers. VI 74 „. . . ast illi tremat omento popa venter?“

praeda de gentibus orientalibus earumque ducibus reportata vestes linteae sunt, quae orientis populorum propriae erant. [143] — Verbo „carbasum (-us)", quod peregrinum primo lanam arboribus procreatam significat, Romani pro linteo tenui utebantur. [144] Propertius hoc loco vocabulo „carbasum" pro adiectivo usus cum substantivo „lina" coniungit. [145] — „Odorato duci" illo Curtii loco supra a me allato explicatur. [146]

In versu 66 Fonteinii coniecturam „aversis" nullo modo necessariam, quin etiam deteriorem esse censeo. Nam Propertium Parthos, optimos equites, [147] hostes magnopere timendos ostendere voluisse manifestum est. Atque simplici „versis" clarius quam composito verbo „aversis" artem equitandi significari existimo. Fonteinius „aversis" ad vocabulum „subdolus" illustrandum proposuisse videtur, quod epitheton de arcu dictum ipsum bene intellegitur. Praeterea copula „et" hoc loco mihi magis placet quam asyndeton, quod nisi ad augendam vim scribi non solet. Itaque lectionem, quae tradita est, servamus. — Et „increpat" et „recrepat" bonum sensum praebent. Sed „increpat", cum omnibus fere codicibus traditum sit atque mea sententia melius sonum, cum arcus tenditur, orientem exprimat, praeferendum est.

34., 35., 36. disticha:

Arethusa Lycotam, ne nimia pericula subeat, obtestata (v. 63—66), nunc ut redeat, orat, quas duas sententias vocabulo „sed" coniungit. Sententia enim post „sed" scripta id, quod Lycotae faciendum est, exprimit, prioribus versibus id, quod ei non faciendum est, dixit. „Pura hasta" militibus fortibus praemium dabatur. [148] Quae virtutis insignia imperatore triumphum agente a militibus portari consentaneum est atque hi auctores testantur: Liv. 45, 38, 12 „militum quidem propria est causa, qui et ipsi laureati et quisque donis, quibus donati sunt,

[143] cf. Curt VIII 9, 14 sqq. „terra . . lini ferax, inde plerisque sunt vestes . . . corpora usque pedes carbaso velant . . . cum rex semet in publico conspici patitur, turibula argentea ministri ferunt totumque iter, per quod ferri destinavit, odoribus complent . . . distincta sunt auro et purpuro carbasa, quae indutus est."

[144] cf. Plin. N. H. 19, 10 „ab his Hispania citerior habet splendorem lini . . . et tenuitas mira, ibi primum carbasis repertis."

[145] cf. Pers. VI 74 „popa venter" et Prop. II 31, 4 „femina turba".

[146] cf. quoque Prop. III 13, 8 „multi pastor odoris Arabs" et Tib. I 5, 36 „odoratos Armenios".

[147] cf. Iustin. hist. Philipp. 41, 2, 5 „et equitare et sagittare magna industria docent" et 41, 3, 4 „equis omni tempore vectantur . . ."

[148] cf. Serv. ad Verg. Aen. VI 760 „pura iuvenis qui nititur hasta: id est sine ferro: nam hoc fuit praemium apud maiores eius, qui tunc primum vicisset in proelio, sicut ait Varro in libris de gente populi Romani", Tac. ann. III 21 „Rufus Helvius donatus est ab Apronio torquibus et hasta", Suet. Claud. 28 „Posiden spadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit".

insignes . . . per urbem incedunt" et Vell. II 121, 4 „triumphus . . ., quem mihi . . . inter praecipuos praecipuisque donis adornatos viros comitari contigit". — Arethusam quamvis maritum redire cupiat, tamen non nisi fidem servavisset, eum ad se reverti velle e vocabulo „sic" optimo codice N tradito — „sint" et „sit" quin corruptelae sint, haud dubium est, nam sensu carent —, cui animo sententia comparativa: „ut qui fidem servaverit" nobis addenda est, elucet. Pro huiusmodi sententia comparativa Arethusa iusta verborum constructione interrupta sententia imperativa (v. 69) utitur, qua re uxor anxia curam de salute et fide mariti optime exprimit. — Si maritus fidus atque integer redisset, Arethusa dona votiva se posituram esse dicit. Quodammodo igitur sollicita spe gaudioque anxio perculsa epistulae suae finem facit. Illa dona votiva ad Portam Capenam — lectio „capinae", quam codices NL exhibent, manifesto corrupta est —, quae inter meridiem et ortum solis spectat, se suspensuram esse dicit, cum exercitum, quia est in oriente, Brundisio advenientem per Portam Capenam urbem Romam intraturum esse exspectet. Neque tamen in ipsa porta (v. v. 17), sed aut in Martis templo prope illam portam sito,[149] ut maritum integrum e proelio redisse indicet, aut in Camenarum aedicula aenea, quae in luco prope ad Portam Capenam est,[150] quae deae apud Festum[151] „castae mentis praesides" appellantur, ut Lycotam fidem servavisse indicet, Arethusam dona suspensuram esse puto. — Dativus „portae Capenae" locum, quo Arethusa dona portat, significat, quae structura apud poetas et in posteriorum dictione saepissime, sed in aureae aetatis oratione soluta raro invenitur.[152]

Properti elegiam IV 3, quae propter epistulae formam inter cetera poetae carmina notabilis est, legentes statim Ovidi epistularum heroidum meminimus. Nam et natura et compositione et sententiis verbisque haec duorum poetarum carmina inter se simillima sunt, id quod nunc ostendam.

Quod ad naturam elegiae Propertianae attinet, carmen IV 3 re vera epistula est, quam uxor ad maritum scribit. Arethusa enim dicit:

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae.

Quae epistularis natura e versibus quoque 3, 5, 6 clarissime elucet. Ovidi epistulae heroidum ipsae quoque omnes litterae re vera scriptae

---

[149] v. Ov. Fast. VI 191 sq.
Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extra
adpositum Tectae porta Capena viae.

[150] v. P. W. (Aust.) III 1, 1427.

[151] ed. Lindsay, p. 38.

[152] cf. Kühner, Lat. Gr. II 1 p. 320 et Uhlmann, De Prop. genere dicendi. Diss. Monast. 1909 p. 38.

sunt, ut e locis, qui infra conferentur, concludere possumus. Et scriptor Properti elegiae IV 3 et auctores Ovidianarum epistularum personae desertae sunt, quae sua ipsorum tristi vita vivide depicta, ut absentes amatae personae redeant, efficere student. Ergo et Properti et Ovidi carmina epistulae sunt amatoriae fictae.

Quod vero ad compositionem attinet, Arethusae epistula nonnullis Ovidi epistulis similis est. Compositio carminis IV 3 — ut, quod antea singulatim exposui, comprehendam — haec est: post breve exordium (1—6), quo natura epistulae elucet, Arethusa maritum, quem belli fata huc et illuc iactent, abesse queritur (7—22). Postquam gravissimas curas de coniugis salute expressit atque, ut fidus sit, admonuit (23—28), maxima cum diligentia suam ipsius vitam miseram atque desertam describit (29—62). Tum iterum (63—72) maritum, ut vitae suae timeat, exhortata, ut fide servata ad se revertatur, supplicibus verbis obsecrat.

Similem compositionem in epistula, quam Penelope ad Ulixem in bello versantem scribit, invenimus. Nam Penelope ipso primo versu natura epistulae expressa marito absente dolet. Deinde quanta sollicitudine atque timore de vita eius commoveatur, exponit et Ulixis fidem paulisper in dubium vocat. Simul autem miserrimam atque oppressam vitam se degere scribit. Penelope ipsa quoque, ut saluti timeat, coniugem obsecrat atque, ut redeat, orans epistulae finem facit.

Simillima Laudamiae epistulae compositio est. Postquam auctor et is, ad quem epistula mittitur, nominati sunt, Laudamia coniugem bello sibi ereptum esse queritur. Summo amore inflammata eum, ut sui memor vitae parcat et pericula belli vitet, admonet. Per totum carmen similibus sententiis atque Arethusa tristitiam vitae suae depingit.

Nunc epistulae Arethusae versus deinceps perscrutabor et epistularum Ovidianarum locos, qui easdem sententias atque similem dictionem praebent, conferam.

V e r s u s 1:

Primus versus epistulae Arethusae hic est:

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,

cui exordio epistularum Ovidianarum hi versus simillimi sunt:

I 1 Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe,
III 1 Quam legis, a rapta Briseide littera venit,
V 1 Nympha suo Paridi . . . mittit . . verba legenda,
IX 1 Mittor ad Alciden a coniuge conscia mentis, littera,
X 3 Quae legis ex illo, Theseu, tibi, litore mitto,

XI 1 Aeolis Aeolidae, . . ., salutem mittit,
XIII 1 Mittit et optat amans, quo mittitur, ire salutem
Haemonis Haemonio Laudamia viro,
XV 1 Hanc tibi, Priamides, mitto, Ledaea, salutem,
XVII 1 Mittit Abydenus, quam mallet ferre, salutem,
Sesti puella, tibi.

In epistulis XV et XVII scriptores non feminae desertae sunt, sed viri, qui ad puellas amatas, quae ab iis separatae sunt, litteras mittunt. Quod tamen nihil refert.

Versus 2:

Versui 2, ubi Arethusa, num Lycotam maritum, qui totiens atque tam diu absit, iure „suum" appellare sibi liceat, dubitare incipit:
cum totiens absis, si potes esse meus,
hi loci Ovidiani similes sunt:
V 1 Nympha suo Paridi, quamvis suus esse recuset,
mittit,
ubi planius quidem atque clarius sententia exprimitur.
IX 1 Mittor ad Alciden a coniuge conscia mentis
littera, si coniunx Deianira tua est.

Huc accedit, quod uterque poeta ad hanc sententiam exprimendam eadem grammatica constructione (si . .) usus est. Ut Arethusa in hoc versu de marito totiens absente queritur, ita Deianira dicit:
IX 33 Vir mihi semper abest.

Simili modo Hero Leandro scribit:
XVIII 70 cur totiens a me, lente morator, abes?

Versus 3/4:

Sententia de litteris deletis:
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
haec erit e lacrimis facta litura meis
in tribus epistulis Ovidianis atque in duabus eodem loco, in secundo disticho, invenitur. Scilicet Briseis ad Achillem scribit:
III 3 Quascumque adspicies, lacrimae fecere lituras.

Item Canace in epistula ad Macareum scripta lituras sanguine oriri posse dicit:
XI 3 Si qua tamen caecis errabunt scripta lituris,
oblitus a dominae caede libellus erit.

Cum ex ceteris tum ex hoc loco alterum poetam ab altero pendere, quod et in Properti elegia et in Ovidi epistula versus ab eisdem verbis „si qua tamen" incipit, facile perspici potest. — Tertium locum Ovidianum affero, qui medio in carmine positus eandem sententiam praebet. Sappho enim Phaoni scribit:
XXI 98 Scribimus, et lacrimis oculi rorantur obortis,
adspice, quam sit in hoc multa litura loco.

V e r s u s 5/6:

Huic disticho, quo de incerto litterarum ductu agitur:

Aut si qua incerto fallet te littera tractu,
signa meae dextrae iam morientis erunt

hi Ovidiani loci respondent:

III 1 Quam legis, a rapta Briseide littera venit,
vix bene barbarica Graeca notata manu,

quo loco tamen scriptor aliter de malo litterarum ductu se excusat.

X 140 Litteraque articulo pressa tremente labat.

Num Propertius vocabulo „morientis" bene usus sit, infra disseram.

V e r s u s 7—10:

Eandem enumerationis rationem quam in his versibus Propertianis in epistula Ovidiana prima invenimus, ubi Penelope I 13 sqq. omnia pericula, quae in bello Ulixi immineant, depingit.

V e r s u s 11/12:

Similem exclamationem:

Haecne marita fides, et pactae praemia noctis,
cum rudis urgenti bracchia victa dedi?

apud Ovidium Hypsipyle facit:

VI 41 Heu! ubi pacta fides? ubi conubialia iura?

Imprimis autem hanc sententiam ab utroque poeta in formam interrogationis rhetoricae redactam et vocabulum „fides" eodem versus loco positum esse observandum mihi videtur. Tamen, num haec sententia in Properti elegia bene dicta sit, dubito, qua de re infra quaestionem instituam.

V e r s u s 13/14:

Sententia de face:

Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
traxit ab everso lumina nigra rogo

horum Ovidi locorum nos admonet: Phyllis miserrimo matrimonio maeret:

II 120 Suntque sepulcrali lumina mota face.

Hypsipyle ad perfidum Jasonem scribit:

VI 42 Ubi conubialia iura?
Faxque sub arsuros dignior ire rogos.

XI 103 sq. Canace crudelitate patris maximo dolore affecta exclamat:

Ferte faces in me, quas fertis, Erinyes atrae,
et meus ex isto luceat igne rogus.

Quibus duobus locis fax nuptialis non rogi igne incensa esse, sed taeda rogum inflammare putatur.

Versus 15/16:

Querela de dis non propitiis:

Et stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
vitta data est, nupsi non comitante deo

in compluribus quoque Ovidianis epistulis expressa est. Phyllis dicit:

II 115 Cui mea virginitas avibus libata sinistris
castaque fallaci zona recincta manu.
Pronuba Tisiphone thalamis ululavit in illis
et cecinit maestum devia carmen avis;
adfuit Allecto brevibus torquata colubris.

V 5 Oenone ad Parim, cuius perfidiam obiurgat, scribit:

Quis deus opposuit nostris sua numina votis?

VI 45 Ovidius Hypsipylem nec Iunonem pronubam nec Hymenaeum comitem, sed atram Erinyn se esse prosecutam ad Iasonem scribentem facit:

At mihi nec Iuno, nec Hymen, sed tristis Erinys
praetulit infaustas sanguinolenta faces.

In septimae epistulae versibus 95 sq. Dido eandem sententiam exprimit:

audieram vocem: nymphas ululasse putavi.
Eumenides fatis signa dedere meis.

Simili modo Hypermestram querentem audimus:

XIV 27 Vulgus ‚Hymen, Hymenaee' vocant. Fugit ille vocantes;
ipsa Iovis coniunx cessit ab urbe sua.

Versus 19/20:

Qui versus, quod ad verba quidem attinet, minime, sed sententias si respicis Ovidi epistularum locis quibusdam similes sunt.

Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
et struxit querulas rauca per ossa tubas . . .

Penelope Parim, quippe qui omnia mala sua attulerit, exsecratur:

I 5 O, utinam tum, cum Lacedaemona classe petebat,
obrutus insanis esset adulter aquis.

Laudamiae quoque verba conferre licet:

XIII 43 „Dyspari Priamide" et
XIII 48 Ei mihi! quam multis flebilis ultor eris.

Versus 23/24:

Ut Arethusa de marito ad officium teneri amoris, non ad asperam militiam nato dicit:

Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis imbelles atterit hasta manus?,

ita Laudamia quoque amatum suum Protesilaum, quamquam aptus non esset, ad bellum profectum esse queritur.

XIII 81 sqq. Non est, quem deceat nudo concurrere ferro
saevaque in oppositos pectora ferre viros.
Fortius ille potest multo, quam pugnat, amare.
Bella gerant alii, Protesilaus amet.

Simili modo Helena de Paride dicit:

XVI 253 apta magis Veneri quam sunt tua corpora Marti.

Versus 25/26:

Hos versus, quibus Arethusa aemulos timores exprimit:
Haec noceant potius, quam dentibus ulla puella
det mihi plorandas per tua colla notas

legentes statim complurium Ovidi epistularum meminimus. Nempe Penelope versibus 71 sqq. magnum suum de salute Ulixis timorem fassa in sequenti disticho sollicitudinem suspicionemque ostendit:

I 75 Haec ego dum stulte metuo, quae vestra libido est,
esse peregrino captus amore potes.

Eodem metu Hero Leandro suo diutius cunctante agitatur atque suspiciones cum prioribus et sequentibus versibus tum 101 sqq. indicat:

XVIII 101 Ferre tamen possum patientius omnia, quam si
otia nescio qua paelice captus agis,
in tua si veniunt alieni colla lacerti
fitque novus nostri finis amoris amor.
A! potius peream, quam crimine vulnerer isto.

Acontium eandem querelam exprimentem audimus:

XIX 136 et rursus miserum, quo me procul inde remoto,
quem minime vellem, forsitan alter adest!

Versus 29—34:

Versus 29 sqq. hi sunt:

At mihi cum noctes induxit Vesper amaras,
siqua relicta iacent, osculor arma tua.
Tum queror in toto non sidere pallia lecto,
lucis et auctores non dare carmen aves.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro
et Tyria in gladios vellera secta suo.

Ut Arethusa primis duobus versibus, ut semet ipsa consoletur, arma a marito relicta se osculari fatetur, ita Laudamia imaginem mariti e cera factam habet, cui omnem suum amorem atque blanditias tribuat:

XIII 151 Dum tamen arma geres diverso miles in orbe,
quae referat vultus est mihi cera tuos:
illi blanditias, illi tibi debita verba
dicimus, amplexus accipit illa meos.

Similiter Hero vestes Leandri amati relictas osculatur:

XVIII 31 Quid referam, quotiens dem vestibus oscula, quas tu
Hellespontiaca ponis iturus aqua?

Sappho vero in epistula, quam ad Phaonem mittit, se locum, quo saepe felix cum viro amato quievisset, tangere dicit:

XXI 149 Incubui tetigique locum, qua parte fuisti.

Ut Arethusa ita Cydippe stragulis nimis opprimi sibi videtur:

XX 170 Et gravius iusto pallia pondus habent.

Simili modo atque Arethusa se horas tarde labentes texendo suendoque conterere dicit, scribit Penelope:

I 9 Nec mihi quaerenti spatiosam fallere noctem
lassasset viduas pendula tela manus.

Qui locus eo notabilior mihi quidem esse videtur, quod prioribus versibus Penelope item atque Arethusa se in deserto lecto frigidam iacentem, quod tempus tardius praeteriret, queri scribit.

Hero quoque:

XVIII 37 Tortaque versato ducentes stamina fuso
feminea tardas fallimus arte moras.

Quos versus epistulae Heronis imprimis conferendos esse equidem puto, quia Hero aeque ac scriptor Propertianae elegiae se aliquid ab amato relictum osculari dixit et in sequentibus versibus de nutrice loquitur.

Versus 41/42:

Assidet una soror, curis et pallida nutrix
peierat hiberni temporis esse moras

cum aliarum Heroidum locorum, ubi de nutrice conscia agitur, tum horum Heronis versuum nos commonefaciunt, quibus Hero cum nutrice de dilecto puero locuta, cur non veniat, miratur:

XVIII 19 aut ego cum cara de te nutrice susurro,
quaeque tuum, miror, causa moretur iter.

Versus 43/44:

Cum praedicatione his versibus expressa:

Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla,
et texit galea barbara molle caput,

quod ad formam solam attinet, Ovidi loci quidam comparari possunt. Briseis enim exclamat:

III 97 felicior illa!

Oenone vero, a Paride deserta, Andromacham, cui Hector fidus semper fuerit, beatam dicit:

V 107 Felix Andromache!

Helena quoque:

XVI 145 Felices, quibus usus adest . . .

In duobus autem epistulis scriptores alias mulieres aeque atque Arethusa, cum semper prope viros amatos manere possint, beatas dicunt:

XIII 137 Troasin invideo, quae si lacrimosa suorum
funera conspicient, nec procul hostis erit.

Hero iis, quibus cum amatis una versantibus fidem custodire liceat, maxime invidet:

XVIII 111 Felices illas, sua quas praesentia nosse
crimina vera iubet, falsa timere vetat!

Versus 46:

Quod ad vocabulum „sarcina" (v. 46) attinet:

Romanis utinam patuissent castra puellis!
Essem militiae sarcina fida tuae,

eodem pentametri loco apud Ovidium ter invenimus:

III 68 Non ego sum classi sarcina magna tuae,
VIII 94 Nec gremio sedi sarcina grata tuo,
IX 58 Illo, cui caelum sarcina parva fuit.

Sed num verbum „sarcina" huic Propertiano loco bene conveniat, infra discernam.

Versus 47/48:

Ut Arethusa nullis terrarum alienarum periculis, quin cum marito proficiscatur, se deterreri posse confirmat:

Nec me tardarent Scythiae iuga, cum pater altas
astricto in glaciem frigore nectit aquas,

ita Phaedra dicit:

IV 103 Ipsa comes veniam; nec me latebrosa movebunt
saxa neque obliquo dente timendus aper.

Versus 51/52:

Quibus cum versibus:

Nam mihi quo? Poenis tibi purpura fulgeat ostris,
crystallusque meas ornet aquosa manus

hos epistulae Laudamiae versus comparo, quae ipsa quoque omnem cultum neglegit:

XIII 31 Nec mihi pectendos curast praebere capillos,
nec libet aurata corpora veste tegi.

Item Sappho ad Phaonem mundo muliebri atque cultu non iam se delectari scribit:

XXI 73 sqq. Ecce, iacent collo sparsi sine lege capilli,
nec premit articulos lucida gemma meos;
veste tegor vili, nullumst in crinibus aurum,
non Arabum noster dona capillus habet.
Cui colar infelix, aut cui placuisse laborem?
Ille mei cultus unicus auctor abes.

Versus 57/58:

Ut Arethusa:

Flore sacella tego, verbenis compita velo,
et crepat ad veteres herba Sabina focos,

ita Laudamia, ut amatum salvum ex bello reducant, deos sacris exorat:

XIII 112 Nulla caret fumo Thessalis ara meo:
tura damus, lacrimamque super . . .

Versus 60:

Seu voluit tangi parca lucerna mero.

Opinionem hic expressam apud Ovidium duobus locis invenimus

XVIII 151 sqq. Sternuit et lumen, posito nam scribimus illo,
sternuit et nobis prospera signa dedit.
Ecce merum nutrix faustos instillat in ignes,
‚Crasque erimus plures' inquit . . .

et

XIII 113 Tura damus lacrimamque super, qua sparsa relucet,
ut solet adfuso surgere flamma mero.

Versus 63—66:

Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris,
plumbea cum tortae sparguntur pondera fundae,
subdolus et versis increpat arcus equis.

Cum aliae quoque heroides tum Laudamia coniugis saluti timet atque similibus verbis atque Arethusa gravissimas curas exprimit:

XIII 65 Hectora, quisquis is est, si sum tibi cara, caveto,
XIII 91 Haec tibi nunc refero, ne sis animosus in armis,
XIII 96 Di faciant, ne tu strenuus esse velis!
Inter mille rates tua sit millesima puppis
iamque fatigatas ultima verset aquas!
Hoc quoque praemoneo: de nave novissimus exi!
XIII 166 Si tibi cura mei, sit tibi cura tui!

Vocabulo „precor" eodem loco versus posito Ovidius saepissime usus est.[153]

Versus 71:

Armaque cum tulero portae votiva Capenae.

Idem mos arma dis suspendendi decimae tertiae Ovidianae epistulae duobus locis commemoratur:

XIII 50 Et sua det reduci vir meus arma Iovi
XIII 144 . . . referas ista fac arma Iovi.

---

153 cf. VII 63, VII 163, VIII 29, XVII 45, XIX 117, XIX 215.

Versus 72:

Arethusa doni titulum referens epistulae finem facit:

Subscribam: salvo grata puella viro.

Ovidius quoque quattuor epistulis epigramma subscripsit:

II 147 Phyllida Demophoon leto dedit hospes amantem:
ille necis causam praebuit, ipsa manus,

quod in sepulcro inscribatur, Phyllis optat.

VII 195 Praebuit Aeneas et causam mortis et ensem;
ipsa sua Dido concidit usa manu,

quod distichon Dido in tumuli marmore incidi iubet.

XIV 129 Exul Hypermestra, pretium pietatis iniquum,
quam mortem fratri depulit, ipsa tulit,

quae verba monumento suo insculpi Hypermestra cupit.

XIX 239 Effigie pomi testatur Acontius huius,
quae fuerint in eo scripta, fuisse rata.

Quibus versibus inscriptam imaginem illius mali, qui Cydippam suam uxorem fecisset, dis daturum se esse Acontius promittit. Postremo epigramma, quamquam epistulae XXI Sapphus ad Phaonem missae interpositum est, addiderim:

183 Grata lyram posui tibi, Phoebe, poetria Sappho.

Quod non omnes Propertianae elegiae versus cum Heroidum versibus comparari possunt, facile diversa poetarum natura atque epistularum condicionum differentia explicatur. Nam in epistulis Ovidianis, quae argumentum Graecum atque fabulosum habeant, de rebus posteriorum temporum (cf. Prop. IV 3, 21) atque vere Romanis (cf. IV 3, 67 sq.) agi non posse consentaneum est.

Similes ergo Properti epistulae Arethusae atque Ovidianarum epistularum locos conferre studui. Etiamsi nonnulli loci ex argumento ipso vel fortuito orti cognationem quandam exhibent, tamen e plurimis fieri non potuisse, quin alter poeta alterum imitaretur, clarissime elucet. Nunc igitur quaerimus, uter poetarum Romanorum prior talem epistulam poeticam composuerit atque uter ab altero pendeat.

Verum enim vero Properti epistulam diligenter legens in locis quibusdam, qui mea quidem opinione non modo non ex argumento nascuntur, sed etiam sententiarum cursum turbant, offendi. Sin autem in Ovidi epistulis ii loci, qui his Propertianis respondent, bene quadrant, Propertium ab Ovidio, ut hanc epistulam scriberet, commotum atque, quod ad verba et sententias attinet, Ovidium imitatum esse concludere mihi licere puto.

In versu secundo Arethusa se ad coniugem suum, si „suus" esse possit, epistulam mittere dicit. Tamen re vera non est, cur Arethusa „si potes esse meus" scribat. Quamquam enim verbis „cum totiens absis" causam afferre videtur, tamen mea quidem sententia Lycotas, quamvis saepe absit, maritus sane Arethusae est. Nam Lycotas nec sua sponte nec perfidia impulsus, sed ut pro patria pugnaret, ad bellum profectus est. Quam sententiam condicionalem Arethusa dicere non potest, nisi, iam priusquam scribere incipit, de mariti fide dubitat. Nam nisi eum perfidum esse compertum haberet, illis certis verbis uti non posset. Ex nullo autem loco totius elegiae Arethusam fidem Lycotae in dubium vocare elucet. Versibus 24 et 69 curae tantum uxoris, quae maritum, ut fidus sit, admonet, expressae sunt. Itaque Propertium a duobus Ovidianis locis V 1 et IX 2 pendere equidem pro certo habeo. Nam in epistula V nympha Oenone ad „suum" Parim scribit, quamquam „suus" nominari non potest:

Nympha suo Paridi, quamvis suus esse recuset,
mittit ab Idaeis verba legenda iugis.

Et in epistula IX Deianira ad coniugem, si uxor eius esse potest, litteras mittit:

Mittor ad Alciden a coniuge conscia mentis
littera, si coniunx Deianira tuast.

Ovidius optimo iure duas illas heroidas haec verba scribentes facit. Nam viros amatos perfidos esse cognoverunt. Oenone ipsa Paridis perfidiae testis fuit: cf. v. 70:

Haerebat gremio turpis amica tuo.

Deianira autem Herculem maritum fidem violavisse fama accepit. At Arethusa omni aperto documento perfidiae mariti caret.

In versibus 5 et 6 Arethusa scribit:

Aut si qua incerto fallet te littera tractu,
signa meae dextrae iam morientis erunt.

Qua de causa Arethusa „iam morientis" dicat, mirum mihi quidem videtur. Quod grammaticam constructionem attinet, „morientis" ut nomen adiectivum verbis „meae dextrae" attribuere nobis licet. Si ita interpretaremur, „moriens dextra" nihil aliud nisi manum Arethusae re vera morientis significaret,[154] quae explicatio absurda est. Birtius igitur Propertium vocabulo „moriens" hoc loco translative ut sit „fatigatus", „tremens", „fessus" usum esse censet, quam interpretationem idcirco repudio, quia „moriens" ut significet „fatigatus" de artibus

[154] cf. Cic. voces morientes, Ov. artus, manus, lumina morientia, quibus locis quoque de personis re vera morientibus agitur.

omnino non dicitur; praeterea Arethusa, quae vix scribere coeperit, fatigata esse nondum potest. „Morior“ pro „fatigatus sum“ ne tum quidem, cum causa allata est, adhibetur. Loco enim Tibulliano II 6, 51:

„tunc morior curis,“

quo vocabulum „morior“ proprie dicitur, Birtii interpretatio non confirmatur. — Mea autem sententia verbum „morientis“ ut casus possessivus cum „meae dextrae“ coniungendum est, quae relatio sola linguae Latinae usui respondet. Idem Pohlenzius sentit, qui suo iure vocabulum „morientis“ de Arethusa dictum reprehendit. Nam propter rerum condicionem, quae in hac elegia est, „moriens“ proprie intellegi non potest. Nonne verisimile est Propertium septimam et praecipue Ovidi undecimam epistulam ante oculos habuisse? Scilicet exordium epistulae VII hoc est:

Accipe Dardanide, morituráe carmen Elissae;
quae legis, a nobis ultima verba legis.

Causam autem, cur „moritura“ sit, Dido, quae hanc epistulam scribit, versibus 183 sqq. affert:

Adspicias utinam, quae sit scribentis imago:
scribimus, et gremio Troicus ensis adest,
perque genas lacrimae strictum labuntur in ensem,
qui iam pro lacrimis sanguine tinctus erit.

Sed plus ad opinionem meam confirmandam epistulae XI hoc initium valet:

Si qua tamen caecis errabunt scripta lituris,
oblitus a dominae caede libellus erit:
dextra tenet calamum, strictum tenet altera ferrum,
et iacet in gremio charta soluta meo.

Et a Propertio et ab Ovidio eaedem sententiae similibus verbis expressae sunt. Canace, quae hanc epistulam undecimam scribit, simili modo atque Arethusa primo de lituris loquitur. Deinde se morituram esse dicit. Notabile quoque est, quod et Propertius et Ovidius illas sententias in condicionalem et consecutivam formam redegerunt. Praeterea Arethusa eisdem verbis quibus Canace („si qua tamen“ et „si qua“) condicionalis sententiae initium facit. Quare quin alter poeta ab altero pendeat, dubitari non potest. Sed cum Arethusa mirum in modum atque obscure se iam morientem dicat, Didonem et Canacem re vera morituras esse intellegimus, quod de gladio iam stricto loquuntur. Qua ex re Propertium, quamquam natu maior erat, tamen amici minoris ingenium non contemnentem Ovidium secutum esse clarissime elucere mihi quidem videtur.

In versu undecimo Arethusa scribit:

haecne marita fides . . .?

Mea quidem sententia talibus e verbis non nisi de Lycotae fide eam desperare concludi potest. Ipsane vidit an fama maritum fidem violavisse compertum habet? Minime. In prioribus enim versibus Lycotam longis expeditionibus a se separari dixit. Propertius igitur Arethusam haec verba iniuria atque omnino non apte dicentem facere mihi videtur. Quare contendere nobis licet Propertium ab Ovidiano loco VI 41 pendere, ubi Hypsipyle ad Iasonem scribit:

Heu, ubi pacta fides?

Hypsipylae Iasonis perfidiam exsecrari fas est. Nam Iasonem se deseruisse atque Medeam toro recepisse auditu accepit. Meum igitur iudicium de Propertio hoc loco Ovidium imitato etiam eo confirmatur, quod in epistula Ovidiana Hypsipyle simili modo atque Arethusa post illam exclamationem primum de face fatali atque sinistra:

Faxque sub arsuros dignior ire rogos,

deinde de ominibus loquitur, quae nuptiis factis mala portenderunt: v. 45 sq.:

At mihi nec Iuno, nec Hymen, sed tristis Erinys
praetulit infaustas sanguinolenta faces.

Nunc versum 30 illustremus. Arethusa, cum noctu insomnis in lecto iacens solacium quaerat, arma a coniuge amato relicta se osculari fatetur:

Si qua relicta iacent, osculor arma tua.

Sed quo modo Propertius Arethusam armis relictis pro marito absente blanditias et amorem tribuentem faciat, obscurum esse mihi videtur. Nam Arethusam armis, quippe quae causa omnium malorum sint, diras imprecari magis consentaneum est. Nempe rem aliquam, quam memoria Lycotae, sive eius est sive ab eo tacta est, caram habet, osculari potest, ut sibi solacium comparet. Arma vero ei solacio esse non possunt. Quare equidem Propertium hos Ovidi similes locos, quos supra contuli, ante oculos habuisse puto:

XXI 149 Incubui tetigique locum, qua parte fuisti:
grata prius lacrimas conbibit herba meas

atque praecipue

XVIII 31: Quid referam, quotiens dem vestibus oscula, quas tu
Hellespontiaca ponis iturus aqua?

et

XIII 151: Dum tamen arma geres diverso miles in orbe,
quae referat vultus est mihi cera tuos:
illi blanditias, illi tibi debita verba
dicimus, amplexus accipit illa meos.

Propertium hos Ovidianarum epistularum locos memoria tenentem sententiam, quippe quae ex argumento ipso nasceretur, in epistula

Arethusae reddere voluisse, sed, cum easdem res, quas Ovidius heroidas osculantes fecisset, eligere non posset, Arethusam amorem suum armis tribuentem fecisse censeo, id quod animum nostrum offendit. Quod meum iudicium etiam sententiae condicionali forma: „si qua relicta iacent" confirmatur. Nam Arethusa se arma cottidie solacii causa osculari et iam, priusquam epistulam scribere coepisset, ut e prioris versus lectione „cum . . . induxit" elucet, osculatam esse dicere vult. Itaque arma re vera domi relicta esse necesse est. Quod mihi, quia Lycotam ad bellum profectum arma sua secum tulisse puto, verisimile non esse videtur.

Quod ad Hippolytae, reginae Amazonum, (v. 43) μακαρισμόν attinet, haec dicam: Arethusa Hippolytam felicem vocat, quae iuxta Theseum maritum pugnare potuerit. Quin etiam se Hippolytam esse cupit. Sed quod Arethusa in sequenti versu Hippolytae adiectivum „barbara" attribuit, magnopere miror. Vocabulum „barbarus" apud Romanos externas gentes, feras incultasque, quae iis contemptui erant, significabat. Amazones ergo, quae ex Asia vel Thracia ortae haberentur atque a feminae natura magnopere abhorrerent, a Romanis ferae atque barbarae sine dubio nominabantur. Arethusa igitur hoc epitheton Hippolytae, cuius loco ipsa esse cupit, male attribuit. Rothsteinius quidem hanc difficultatem eo modo tollere studet, ut vocabulo „barbara" cum „galea" coniuncto „galea" casum nominativum esse putet. Sed tamen in metrica difficultate, quod „galea" verbi ultima syllaba „a" longa est, offendimus. Duo quidem versus apud Propertium, II 13, 25 et IV 5, 62, inveniuntur, in quibus ea pars, quae est ante pentametri διαίρεσιν vel hexametri caesuram „πενθημιμερής", brevi vocali a finitur. Versus II 13, 25 tamen, qualis a poeta scriptus sit, dubium est. Quod ad versum IV 5, 62 attinet, non tantopere de re metrica miramur, quia vocabulo „ossa", quod neutrius generis est, quominus de casu dubitemus prohibemur. Itaque „galea", ut omnes hunc versum primum legentes intellegunt, ablativum esse interpretor, praesertim cum subiectum non ut Rothsteinio mutandum sit. Causam autem, cur Propertius vocabulo „barbara" minime apto usus sit, inde repeto, quod Ovidianae epistulae XIII versus 137 sqq. memoria tenuit:

Troasin invideo, quae si lacrimosa suorum
funera conspicient, nec procul hostis erit:
ipsa suis manibus forti nova nupta marito
imponet galeam barbaraque arma dabit.

Nam hoc quoque loco de praedicatione atque ea Troadum agitur, quibus ipsis maritis arma induere atque ex propinquo fatum suorum conspicere licet. Cum hunc Ovidianum locum cum Properti elegiae conferimus, Laudamiam Troades secum comparantem propius quam Arethusam, quae Hippolytam, personam mythologicam, felicem dicit,

ad vitam accedere nobis concedendum est. Deinde, in Laudamiae epistulae versu 140 eadem vocabula quae apud Propertium „galea“, „barbara“, „arma“ inveniuntur et in utraque epistula „galea“, „barbara“ eodem pentametri loco posita sunt. Mea vero opinio de Propertio hunc Ovidianum locum imitato etiam eo confirmatur, quod et epistula Arethusae compositione, rerum condicione, sententiis Laudamiae simillima est et Hippolytae praedicatio vocabulo „sarcina“ in sequenti disticho scripto turbatur.

Scilicet hoc vocabulum „sarcina“ (v. 46) iam Pohlenzius iure reprehendit. Arethusa enim, si castra puellis Romanis paterent, se Lycotae in pugna semper commilitonem et in omnibus periculis fidam comitem futuram esse dicit. Quo modo autem se coniugis sarcinam appellare possit, mirum est. Nam vocabulum „sarcina“ aliquid molesti et de personis dictum saepe eum, qui contemptui est, significat. Praeterea Arethusa in prioribus versibus Hippolytam, quae ad bellum proficisci et iuxta Theseum amatum virum armata ipsa pugnare potuerit, felicem dixit. At nunc Arethusa ipsa marito molesta sarcina esse vult? Qua re ab Hippolytae fortiter pugnantis exemplo, quod ad imitandum sibi proposuit, eam magnopere discrepare nemo non intellegit. Itaque „sarcina“ hoc loco minime apte dictum est. Propertium hic Ovidi vestigiis ingressum esse equidem pro certo habeo. Nam in epistula III v. 68 Briseis, puella infelix, Achillem, ut, quandoquidem domum rediturus sit, ut sarcinam saltem se secum ferat, supplicibus verbis obsecrat:

Non ego sum classi sarcina magna tuae.

Briseis suo iure se sarcinam nominare potest, quippe quae Achillem se deseruisse rata, ne a viro amato separetur, humillima sorte contenta sit. Propertium Ovidium secutum esse inde quoque concludo, quod vocabula „sarcina“ et „tuus“ apud Propertium eodem loco pentametri quo in compluribus Ovidi epistulis posita sunt:

1) in Briseidis epistula,
2) VIII 94 Nec gremio sedi sarcina grata tuo,
3) IX 58 Illo, cui caelum sarcina parva fuit.

Itaque cum Ovidius hanc versus clausulam in deliciis habuisse videatur, ut Propertius illam memoria tenens, cum epistulam Arethusae scriberet, in promptu haberet, facile fieri potuit.

Alius locus, qui, ut iam Pohlenzius dicit, sententiae non convenire videtur, versus 49/50 sunt:

Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior:
hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.

E verbis „aperto in coniuge maior“ Arethusae verba „omnis amor magnus“ nihil aliud nisi illegitimum amorem significare elucet. Quam

duorum amorum comparationem supervacaneam esse contendo. Nam cum antecedente sententia nullo modo cohaeret, quia Hippolyta Theseum militantem legitima uxor secuta est. Quin etiam hanc comparationem sententiam turbare dixerim. Nam in castae uxoris animo haec cogitatio nullo modo nasci potest. Qua comparatione facta Arethusa se omnem cultum neglegere dicit:

Nam mihi quo? Poenis tibi purpura fulgeat ostris,
crystallusque meas ornet aquosa manus.

Propertium vero hoc loco ab Ovidio pendere censeo. Nam idem sententiarum ordo in epistula Ovidiana XIII 29 sqq. invenitur, ubi Laudamia primum animo legitimum amorem meretricio opponit, deinde cultus neglecti mentionem facit:

Ut rediit animus, pariter rediere dolores;
pectora legitimus casta momordit amor.
Nec mihi pectendos curast praebere capillos,
nec libet aurata corpora veste tegi.

Laudamia haec verba naturae rerum consentanea optimo iure loqui posse mihi videtur. Nam, cum modo taedas nuptiales [155] viderit, quid legitimus amor sit, cognovit, quare in illa comparatione non offendimus.

Neque Propertianae epistulae versus 50 quadrare mihi videtur. Nam Venus non solum amorem legitimum, sed etiam amorem meretricium incendit. [156] Quare equidem Propertium, quoniam duobus amoribus comparatis Ovidium secutus erat, ut distichon impleret, hunc versum 50 scripsisse puto.

Ita, quae ratio inter poetarum carmina a me pertractata intercedat, satis demonstravisse mihi videor. Ovidius ergo, quamquam, quod ad „Amores“ attinet, a Propertio, amico natu maiore, pendet, [157] tamen epistulas amatorias primus poetarum Romanorum scripsit, quo in poesis genere Propertius eum secutus est.

Nonnulla vero argumenta, quibus meum iudicium confirmetur, addiderim.

In arte amatoria III 346 Ovidius de epistulis ipse dicit:

Ignotum hoc aliis ille novavit opus.

De horum verborum significatione viri docti dissentiunt. Sane eiusmodi verbis non semper nobis fides habenda est, quia ita de se

---

[155] cf. Nauck, Tr. Frg. p. 563.

[156] cf. ex. gr. Tib. I 2, 98 „quid messes uris acerba tuas“, quo loco de illegitimo amore agitur.

[157] cf. Neumann, Qua ratione Ovidius in Amoribus scribendis Properti elegiis usus sit. Diss. Gotting. 1919.

ipsis loqui antiquorum poetarum mos erat. Tamen non est, quod illa sine ulla causa dicta esse putemus. Mea enim sententia illud „ignotum“ Ovidium hoc litterarum genus, quasi antiquis poetis Graecis atque Alexandrinis prorsus ignotum esset, primum invenisse non significat. Fuerunt sane epistulae in litteris iam ante Ovidi aetatem:

1) epistulae sermone pedestri scriptae,
2) epistulae poeticae.

Illae e schola rhetorum natae sunt. Praeexercitamenta erant, quibus rhetor se aliam personam esse fingebat, cuius sententias in epistulae formam (προσωποποιίαι) redigebat. Cuius rei haec affero exempla:

Theo. ed. Spengel: rhet. graeci II p. 115: ὑπὸ δὲ τοῦτο τὸ γένος τῆς γυμνασίας πίπτει καὶ τὸ τῶν πανηγυρικῶν λόγων εἶδος, καὶ τὸ τῶν προτρεπτικῶν, καὶ τὸ τῶν ἐπιστολικῶν.

Plinius Fuscum in studio epistulas scribendi exercitationis causa diligenter versari iubet: Ep. VII 9, 8: „volo epistulam diligentius scribas. Nam . . . pressus sermo purusque ex epistulis petitur.“ [158]

Quae rhetorum exercitamenta ad epistulas amatorias, quas viri clarissimi velut Lysias, Epicurus, Chrysippus Stoicus ad puellas amatas aut pueros scripserunt, non nihil pertinent. [159]

Praeter has epistulas sermone pedestri scriptas poeticae quoque epistulae amatoriae inveniuntur (cf. Cat. c. 32 Ipsitillae missum), quarum pars in formam epigrammatum redacta est. Vide exempli causa Anthol. Pal. V 73 Rufini epistolium, quo donum puellae suae missum prosequitur:

Πέμπω σοί, Ῥοδόκλεια, τόδε στέφος, ἄνθεσι καλοῖς
αὐτὸς ὑφ᾽ ἡμετέραις πλεξάμενος παλάμαις.
Ἔστι κρίνον, ῥοδέη τε κάλυξ, νοτερή τ᾽ ἀνεμώνη,
καὶ νάρκισσος ὑγρὸς, καὶ κυαναυγὲς ἴον.
Ταῦτα στεψαμένη, λῆξον μεγάλαυχος ἐοῦσα·
ἀνθεῖς καὶ λήγεις καὶ σὺ καὶ ὁ στέφανος.

Quia duos poetas (Cat., Ruf.), quorum carmina modo commemoravi, Alexandrinos poetas imitatos esse constat, illud epistularum poeticarum genus ante Ovidi aetatem usitatum fuisse concludi potest.

---

[158] cf. Rhode, Griech. Roman ² 1900, p. 364 sqq.

[159] De Lysia cf. Platonis Phaedrum et Crönert, Gött. Gel. Anz. 1907 p. 271 ad Wendland, Anaximenes von Lampsacos; Suid. sub voce *Λυσίας*: *Λυσίας . . . ἔγραψε δὲ καὶ τέχνας ῥητορικὰς καὶ δημηγορίας, ἐγκώμιά τε καὶ ἐπιταφίους καὶ ἐπιστολάς ζ', μίαν μὲν πραγματικὴν, τὰς δὲ λοιπάς ἐρωτικάς, ὧν αἱ πέντε πρὸς μειράκια.* Cf. Dionys. Halic. *περὶ Λυσίου* cap. 3. De Epicuro cf. Diog. Laert. X 6: *καὶ ἄλλαις δὲ πολλαῖς ἑταίραις γράφειν καὶ μάλιστα Λεοντίῳ,* quarum epistularum fragmenta collegit Usener, Epicurea, Lips. 1887 (p. 140). De Chrysippo cf. Diog. Laert. X 3: *Διότιμος δ᾽ ὁ Στωικὸς δυσμενῶς ἔχων πρὸς αὐτὸν πικρότατα αὐτὸν διαβέβληκεν, ἐπιστολὰς φέρων πεντήκοντα ἀσελγεῖς ὡς Ἐπικούρου, καὶ ὁ τὰ εἰς Χρύσιππον ἀναφερόμενα ἐπιστόλια ὡς Ἐπικούρου συντάξας.*

Quae tamen epistulae omnes iam ante Ovidium eiusmodi epistulas, quales sunt heroidum epistulae, fuisse ut demonstremus nullius momenti sunt. Nam in illis poeta de se ipso, de vita sua, de amore suo loquitur. Epistularum vero, quae heroidum et Arethusae epistularum generis sunt, nullae reliquiae neque in Alexandrinorum neque in Romanorum litteris inveniuntur. Quas tamen illis iam temporibus scriptas esse ex tribus argumentis concludo:

1) Lucianus ver. hist. 29 et 35 epistulae, quam Ulixes Calypsoni mittit, mentionem facit. Apud Theophylactum vero Simocattam [160] Medea Iasoni litteras mittit. Cum autem Lucianum veterum poetarum narrationes irridere atque Theophylactum ab antiquis exemplaribus pendere constet, [161] iam Alexandrinis temporibus hoc fictarum epistularum genus et sermone pedestri et poetica floruisse concludo.

2) In Metamorphoseon libro IX v. 530—563 epistulam, quam Byblis ad Caunum fratrem amatum mittit, scriptam videmus. Byblis incesto amore Cauni fratris exarsit. Pudor eam amorem fratri fateri prohibet. Sed quod, ne eloquatur, os recusat, manus, etiamsi tremens, scribere audet. Quae Byblidis epistula in fabulam quidem inserta et heroo versu scripta eiusmodi generis est, cuius Ovidi Heroides et Properti epistula Arethusae sunt. Sed cum Metamorphoseis prorsus ex aetatis Alexandrinae poetarum ingenio scriptae sint, huiusmodi epistulas amatorias fictas iam temporibus Alexandrinis, quibus tot litterarum genera floruerunt, etiamsi eo solo consilio, ut narrationem variarent, poetas scripsisse concludere nobis licere puto.

3) Tertium argumentum tres tabulas Pompeianas pictas exhibere existimo: a) tabulam, cuius argumentum e fabula, qua de Phaedrae et Hippolyti amore agitur, sumptum est. Artifex tres personas pinxit: Phaedram, Hippolytum, consciam nutricem, quae tabellam, qua Phaedra amorem suum fatetur, iuveni obviam tenet. [162] b) duas tabulas, quarum argumenta e fabula, quae de amore Polyphemi atque Galateae est, sumpta sunt. In altera tabula Polyphemum videmus, qui eroti cuidam, qui delphino vehens apertum diptychum manu tenet, dextram porrigit. [163] In altera tabula artifex Polyphemum tabellam dextra iam tenentem pinxit. Quid ex his tabulis pictis cognosci potest? Iam poetas Alexandrinos fabulam Phaedrae et Galateae et aliarum personarum descripsisse, quibus narrationibus epistulis ipsis emboliis quasi interpositis varietatem addere studebant. Quin etiam epistulas

---

[160] Hercher, Epist. Gr. 54.

[161] cf. Heinemann, Epistulae amatoriae quomodo cohaereant cum elegiis Alexandrinis. Diss. Argentor. 1909, p. 35 sq.

[162] v. Panofka, Bilder antiken Lebens, Taf. 17, 4. Berlin 1843 et Eurip. Hippolyt. 856: *ἥδε δέλτος ἐκ φίλης χερὸς ἠρτημένη θέλει τι σημῆναι νέον;*

[163] v. Mus. Bor. I 2.

cum narratione non coniunctas scriptas esse dixerim.[164] Ergo meo iudicio Ovidius iam apud Alexandrinos poetas exempla invenit, sed primus poetarum Romanorum hoc epistularum genere usus est, qua de causa suo iure id se novavisse dicere potuit. Propertius vero eum secutus est. Quamquam viri quidam docti (Schanz) Ovidium Properti epistulam imitatum esse censent. Sed omnes duorum poetarum carminum similes locos, quos supra contuli, spectantibus Ovidium, si sine iustis causis auctorem illius epistularum generis se nominasset, Propertio et Romanis, qui carmina Properti certe non ignorabant, audacissime insultaturum fuisse nobis concedendum est. Ovidium autem tanta audacia usum esse credere non possumus. Itaque, quin Propertius ab Ovidio pendeat, dubitari non potest.

Ordo quoque temporum, quibus Properti elegia IV 3 et Ovidi epistulae heroidum scriptae sunt, meo iudicio minime obstat. Viri docti[165] Propertium hanc Arethusae epistulam extrema aetate circa annum quintum decimum a Chr. n. scripsisse satis certum esse censent. Quin etiam nonnulli quartum librum Properti elegiarum post mortem poetae editum esse putant, quod mihi magnopere displicet, quia carmina huius libri summo artificio disposita sunt. Nam inter magnas elegias 1, 6, 11 quaternae interpositae sunt, quarum 2, 4 et 9, 10 carmina aetiologica, 3, 5 et 7, 8 amatoria sunt.[166] Quod vero ad carmina Ovidi attinet, Amores, quibus adulescens primum amorem suum fatetur, primum poetae opus esse censeo.[167] In prooemio autem, quod Ovidius Amoribus affixit, opus, quod antea quinque librorum fuisset, ad tres libros se redegisse dicit. Pohlenzio vero, qui alteri editioni carmina, quae in priore non fuissent, addita esse putat, adstipulari non possum. Nam 1) poeta ipse neque in prooemio neque alio loco carmina se addidisse dicit, quod etiam mea quidem sententia propter antiquam rationem in voluminibus scribendi minime fieri poterat. 2) Causas, quibus Pohlenzius nititur, non multum valere puto: in carmine II 18 Ovidius se iam tragoediae scribendae operam dedisse atque eam cura sua crevisse dicit. Sed illo verbo „crevisse" utique „tragoediam perfectam esse" significari minime necessarium est ut putemus. Nam ille infinitivus, si non perfectum praesens sed perfectum quod dicitur historicum esse sumimus, etiam „sie sei schon (scl.

---

[164] cf. Dilthey, Obs. in epist. her. Ovid. p. 3. Gotting. 1884/85.

[165] cf. Rothstein ed. Prop., Reisch W. St. 9, 1887.

[166] cf. M. Ites, De Prop. elegiis inter se conexis. Diss. Gotting. 1903 et Port, Philol. 81, 1926, 280 sqq., 427 sqq.

[167] cf. Ov. Trist. IV 10 v. 57—60:

carmina cum primum populo iuvenalia legi,
barba resecta mihi bisve semelve fuit.
Moverat ingenium totam cantata per urbem
nomine non vero dicta Corinna mihi.

bis zu einem gewissen Maße) angewachsen = gediehen" significare potest. In elegia autem III 1, in qua Ovidius Tragoediam et Elegiam ipsas apparuisse fingit, Tragoedia eum sic alloquitur:

cessatum satis est: incipe maius opus.

Sed Ovidius, qui Elegiae se dedit, a Tragoedia aliquid morae petit atque postea se ei operam daturum esse promittit. At in carmine III 15 Ovidius Amores atque Venerem valere iubet et Tragoediae se totum dediturum esse dicit. Equidem hos tres locos hoc modo inter se convenire puto: e carmine II 18 Ovidium tragoediam parte tantum perfecta inchoatam reliquisse atque neglexisse elucet. Itaque III 1 Tragoedia eum, ut tandem maius (das größere) opus incipiat, severis verbis admonet. Ovidius autem aliquid morae petit atque demum in carmine III 15 tragoediam re vera perfecturum neque iam moram interpositurum se esse profitetur. — Carmen I 15 quoque, ubi Ovidius de invidia hominum loquitur, Pohlenzius alteri Amorum editioni additum esse putat. Nam tum demum, postquam prima Amorum editio et Medea et Heroides, quas Pohlenzius simul cum tragoedia inter primam et alteram editionem scriptas esse ex II 18 concludit, in lucem prolatae essent, Ovidium, quod a livore se defenderet, habuisse. Equidem tamen eodem tempore, quo Amores, etiam epistulas heroidum et Medeam ortas esse puto. Illa carmina elegiaca iam antequam ederentur, a poeta ipso publice esse lecta imprimis poetae amicis ut Sabino, qui [168] ad Ovidi Heroides nondum editas epistulas responsorias scribebat, atque Propertio [169] Ovidius ipse testis est cum scribit Trist. IV 10, 57 sqq.: „carmina cum primum populo iuvenalia legi . . ." Itaque iam tum Ovidium de illorum, qui ei non favebant atque poetae scribendi elegantiae obtrectare studebant, invidia queri potuisse nemo non intellegit. Fortasse poetam hoc carmen I 15 ante ipsam editionem demum scriptum interposuisse concedamus licet. Birtii sententia igitur, qui ex elegiis II 18 et I 15 epistulas heroidum iam ante Amores in lucem prolatas esse concludit, minime recta neque necessaria est. Nam quod Amores inter annos undevicesimum et quintum decimum, ut ex carmine I 15 (ubi Tibullus mortuus, at non Propertius mortuus affertur) intellegi potest, editi sunt, meae sententiae nihil obstat: scilicet Propertium in Arethusae epistula, quae circa annum quintum decimum scripta est, Ovidi epistulas heroidum, quae simul cum Amoribus circa annos duodevicesimum vel decimum septimum scriptae sunt, imitatum esse.

Nonnulli vero viri docti [170] ut Ovidius discipulus rhetorum primus has epistulas scriberet, non Propertius, facilius fieri potuisse putant.

---

[168] cf. II 18.

[169] cf. Trist. IV 10, 45 „saepe suos solitus recitare Propertius ignes".

[170] cf. Jurenka, Beiträge z. Kritik der Ovidischen Heroiden, Progr. Vindobon. 1881 p. 19.

Quod argumentum non multum valere puto. Nam Propertius ipse quoque rhetorum auditor fuit [171] et aliquatenus ab iis pendet. [172] Ne praeexercitationum quidem apud eum exempla desunt. [173] Sed cum Seneca rhetor contr. II 2, 8 dicat: „declamabat autem Naso raro controversias et non nisi ethicas; libentius dicebat suasorias: molesta illi erat omnis argumentatio," atque cum epistulae heroidum re vera suasoriae sint, illa Senecae verba confirmant meam sententiam.

Addo, quod magni momenti esse mihi videtur. Supra multos Properti elegiae et Ovidi epistularum locos inter se simillimos contuli. At Ovidium, qui gloriae cupidissimus [174] atque poeta tam ingeniosus fuerit, ut, quidquid loqueretur, versum esse dicere posset, tot sententias ex Properti una elegia sumptas eisdem fere verbis passim singulis in epistulis reddidisse non verisimile esse mihi videtur. Nam si quid poeta alius ab alio depromit, unum neque satis amplum exemplar semel vel bis, at non plurimis, si quid sapio, nonnullorum carminum locis imitatur. Quod si facit, poetae ingenium ei denegandum est. At facile fieri potuit, ut Propertius, cui Ovidianae epistulae placerent, unam eiusmodi epistulam poeticam scribere conaretur et sententiis Ovidi epistularum pulcherrimis, quas animo tenebat, exornaret. Nam quamquam Reisch [175] Propertium, quippe qui ambitiosus fuisset poeta atque superbus, [176] nunquam, ne Ovidi heroidum epistulis se delectatum esse demonstraret, ad imitationem descendisse dicit, Propertium Arethusae epistula Ovidio, quomodo ipse eius bonum inventum usurpare, sed amplitudine et repetitione vitata superare posset, demonstrare voluisse contendo, qua re horum poetarum amicitia familiarissima optime confirmatur.

Quamquam ergo Propertius ab Ovidio pendet, tamen non quasi assecla eum imitatus est, sed, quae ab Ovidio excepit, ita tractavit, ut carmen IV 3 ex ipsius ingenio natum esse videatur, cui nota eius ingenii propria impressa est. Quicumque enim Arethusae epistulam leget, sensus eadem tenera atque ardenti ratione, qua in ceteris Properti carminibus expressos esse cognoscet. Qua in elegia Propertius se animi muliebris scientissimum praebet. Immo calore sensuum et ver-

---

[171] cf. III 1, 134 „et vetat insano verba tonare foro" et quod Rothsteinius ad hunc versum adnotat.

[172] cf. Meusel, Curae Prop., Diss. Lips. 1902.

[173] cf. Prop. eleg. II 12, cuius de argumento in rhetorum scholis saepe agebatur (Quint. decl. II 4, 26) et v. Reitzenstein, Hellenist. Wundererzählungen, p. 167 sq.

[174] cf. Rem. Am. 466 „atque utinam inventi gloria nostra foret".

[175] W. St. 9, 1887.

[176] cf. III 1.

borum brevitate carmen IV 3 multo Ovidi epistulis praestat, quae ludicris saepe rebus atque nimia longitudine taedium fere nobis afferunt. Alia quoque re, etiamsi primo obtutu extranea esse videtur, epistula Properti ab Ovidi differt. Auctores Ovidianarum epistularum personae aetatis pristinae (cf. Sapph.) vel fabulosae sunt. Propertius autem personas ex suis ipsius temporibus repetit, qua re eorum, qui elegiam IV 3 legunt, studium valde augetur.

Libri, quibus usus sum:

1. Editiones atque Commentarii:

Baehrens, Sex. Prop. Elegiarum Libri IV, Lipsiae 1880.
Broukhousius, Sex. Aur. Prop. Elegiarum Libri IV, Amstelaedami 1727.
Butler, Sexti Prop. Opera Omnia, London 1905.
Ehwald, P. Ovidius Naso. Tom I., Lipsiae, Bibl. Teubn., 1916.
Enk, Ad Prop. Carmina Commentarius Criticus, Zutphaniae 1911.
Haupt-Vahlen-Helm, Catulli Tibulli Properti Carmina, ed. VII., Lipsiae 1912.
Hertzberg, Commentarius in Sex. Aur. Prop. Elegiarum Libros IV, Halis 1845.
Hosius, Sex. Prop. Elegiarum Libri IV, Lipsiae (Teubn.) 1911; [2] 1922.
Lachmann, Sex. Aur. Prop. Carmina, Lipsiae 1816.
Phillimore, Sexti Prop. Carmina, Oxonii 1901.
Rothstein, Die Elegien des Sextus Prop., Berlin [2] 1920 et 1924.
Sedlmayr, P. Ovidi Nasonis Heroides, Vindobonae 1886.

2. Alii libri:

Birt, Rh. Mus. 70. 1915.
Birt, Die Cynthia des Prop., Lpz. 1922.
Birt, Berl. Philol. Wochenschrift 1913.
Bürger, De Ovidi carminum amatoriorum inventione et arte, Diss. Guelferb. 1901.
Damsté, Mnemos. LII 1924.
Dilthey, Observationes in epistulas heroidum Ovidianas, Gotting. 1884/85.
Heinemann, Epistulae Amatoriae quomodo cohaereant cum elegiis Alexandrinis, Diss. Argentor. 1909.
Heinze, Virgils Epische Technik [3], Leipzig (Teubn.) 1915.
Hollstein, De monobibli Properti sermone et de tempore, quo scripta sit, Diss. Marpurg. 1911.
Jurenka, Beiträge zur Kritik der Ovidischen Heroiden. XXXI. Jahresbericht über das k. k. Staatsgymnasium im VIII. Bezirke Wiens, 1881.
Kalinka, Philol. 77, 1921.
Leo, Nachrichten von der Königl. Gesellschaft der Wissenschaften, Gött. 1898.
Marquardt, Das Privatleben der Römer [2] I, Leipzig 1886.
Meusel, Curae Propertianae. Diss. Lips. 1902.
Neumann, Qua ratione Ovidius in Amoribus scribendis Prop. elegiis usus sit, Diss. Gotting. 1919.
Pohlenz, De Ovidi carminibus amatoriis. Index lect. Univ. Gotting. 1913.
Postgate, Journal of Philology 14, 1885.
Reisch, Wiener Studien 9, 1887.
Reitzenstein, Hellenistische Wundererzählungen. Lpz. 1906.
Rohde, Der griech. Roman und seine Vorläufer [3]. Lpz. 1900.
Troll, Bursian 208, 1926.
Uhlmann, De Prop. genere dicendi Diss. Monast. 1909.

Vita.

Natus sum Arminius Mersmann in Guestfaliae oppido, cui nomen est Ibbenbüren, d. 2. m. Nov. a. 1906. patre Francisco, matre Antonia e gente Nueckel, quam mortuam esse valde doleo. Civis sum Borussus, fidem profiteor catholicam

Primis litterarum elementis institutus per quinque annos scholae latinae Ibbenburiensis, cuius conrector pater erat, deinde per quattuor annos gymnasii Dionysiani Rheinensis discipulus fui. Testimonium maturitatis mense Martio anni 1924. adeptus post morbum gravem autumno eiusdem anni Monasterium profectus sum, ut in universitate cum litteris scriptisque Britannorum tum antiquitatis studio me dederem. Anni 1925. aestate in Bavariae capite per tres menses versatus sum. Insequente hieme Monasterium redii, ubi per sex semestria fui civis academicus.

Examen rigorosum superavi d. 30. m. Nov. a. 1928.

Et scholis et seminariis docuerunt me imprimis viri doctissimi: Beckmann, Hase, Keller, Muenscher, Schoene, Sonnenburg Monasterienses; Foerster, Weymann, Schwartz Monacenses.

Omnibus qui me docuerunt viris doctis maximas habeo gratias, praecipue Carolo Muenscher, quippe qui ad hanc materiam tractandam me invitaverit neque unquam in opusculo perficiendo consilio operaque mihi defuerit.